Zu

der öffentlichen Prüfung,

welche

am 14ten und 15ten September 1835

an dem

# Königlichen Gymnasium zu Cleve

abgehalten werden wird,

ladet

die Eltern der Schüler, so wie alle Freunde der Jugendbildung

ganz ergebenst ein

der Director des Gymnasiums

**Dr. *Friedr. Ant. Rigler*.**

---

Inhalt.



---

Cleve, gedruckt in der Koch'schen Buchdruckerei.

Cum suo cuique iudicio sit utendum, difficile factu est, me id sentire, quod tu velis.
*Cic. III. de nat. deor. 1.*

## Cp. 1.

Vicit ac supergressa est *vitium* parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam.

Apparet, non duo vitia dici, sed unum, quod quasi ex ignorantia et invidia conflatum sit. Ignorantia enim non modo in rebus nondum cognitis aut parum intellectis cernitur, sed proficiscitur saepe etiam a malignitate. Et alterum quidem, quod discendo tollitur, nos appellamus Unkunde, alterum Misskennung, Verkennung: illud turpe sane, hoc peius est. Plerumque enim homines, quid rectum sit, sentiunt, sed quia ipsi inertia impediti idem se assecuturos desperant, nolunt, sicubi illud eluxerit, agnoscere. Hanc igitur, ut ait Valer. Max. V. 3, 2. iniquissimam virtutum aestimationem Tacitus reprehendit eandemque huius vitii causam dicit esse, quam Horatius (C. III. 24, 31.) his verbis perstringit: Virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi i. e. nos invidi seu invidia ducti virtutem, quam ex oculis sublatam quaerimus, eandem odimus incolumem. Copulavit autem Tacitus *invidiam* cum *ignorantia recti,* usus eo loquendi genere, de quo docte ac subtiliter C. L. Rothius (libro, qui inscribitur: C. C. Taciti Synonyma et per figuram ἓν διὰ δυοῖν dicta) disseruit, nisi quod ille paullo cupidius cum apud alios scriptores, tum apud Tacitum ea venatur, quae speciem huius figurae prae se ferant. Mihi eiusdem figurae ratio haec fere videtur esse.

Figura ἓν διὰ δυοῖν cernitur, ubi *una eademque res* duobus vocabulis ita designatur, ut duarum rerum, sive in concretis eae sive in abstractis numerantur, imagines animo obiici videantur. Cum vero solum nomen substantivum rerum substantiam; adiectivum autem earum qualitates denotet; intelligitur, id fieri non posse, nisi, cum aliquando ad significandam rei cuiusdam vim ac naturam substantivum et adiectivum sive alia attributio seu accidentia quaedam opus sint, vel hoc ipsum adiectivum in substantivum mutetur, vel ea, quae vice adiectivi funguntur, substantivi potestate comprehendantur. Itaque figura ἓν διὰ δυοῖν est, cum *qualitatis* natura ad dignitatem *substantiae* provecta substantivo suo per particulam copulativam adiungitur, sive, ut patrio sermone utar, die Erhebung einer qualitativen Bestimmung zur Würde eines selbstständigen Begriffs, der dann durch eine verbindende Partikel seinem eigentlichen Substantiv angeschlossen wird. Quodsi interdum — nam exempla id genus perquam rara sunt — duo adiectiva simili modo copulata reperiuntur; semper eorum alterum in substantivi naturam vertit, ut etiam in hoc genere ea, quam diximus, ratio obtineat. L. Rothius quidem et adiectiva dicit ita saepe copulari, ut alterum vim adverbii assumat, alterum adiectivi significationem retineat, et verba etiam cum verbis per eandem figuram coniungi opinatur: in quo prorsus ab eo dissentio: atque omnino quae vir doctissimus in hoc genus contulit; sunt autem plurima; eorum magnam partem resecandam puto. Nec enim probabile est, toties hanc figuram veteribus usurpatam, neque si quod vocabulum alteri per et, que, atque vel aliam huiusmodi particulam copulatum sit, idemque antecedentis nominis vim definiat aut explicet, continuo ad huius figurae subsidia decurrendum erit. Res praeterea magnam partem in interpretatione posita est, et maximopere cavendum, ne ad nostrum loquendi morem latini sermonis consuetudinem detorqueamus, quae cum in aliis rebus, tum in usu particularum iungendisque non modo vocabulis, sed sententiis etiam cum nostro sermone discrepat, sed ita, ut saepe utrum simplicitatem magis an ἐνάργειαν admireris nescias.

A synonymis autem huius figurae ratio tantum differt, ut, ubi cognatio quaedam alterius cum altera videatur esse, iure dubites, an omnino haec ista figura sit. Etenim apparet, synonyma enasci copia linguae et orationis redundantia; alteram contra ex fonte manare huic plane contrario, inopia linguae quadam et brevitatis studio. Synonyma unius alicuius notionis similitudinibus dissimilitudinibusve aperiendis illustrandisque inventa sunt: haec autem figura in ipsis rebus earumve imaginibus ob animum ponendis collocata est;

ac saepe, quae uno vocabulo constringit, pluribus vocabulis explicanda sunt. Synonyma denique quantumvis significatione inter se differant, habent tamen aliquid commune, quo in unius quasi notionis gyrum cogantur: at quae vocabula per ἓν διὰ δυοῖν copulata sunt, tantum abest, ut in unius notionis ambitum conveniant, ut, si qua est eorum similitudo, in rebus illa magis, quam in verbi significatione posita sit, ita ut non tam necessitate, quae mentis ac rationis est, sed fortuito potius rerum concursu componantur.

Sunt autem huius figurae quatuor potissimum fontes, quorum duo ab ipsa natura, duo ab artificio repetendi videntur; necessitatem dico, brevitatem, diligentiam, concinnitatem.

Ac primum quidem *necessitatem* dixi: namque ad naturam rei alicuius declarandam si quando praeter nomen substantivum adiectivum opus esset, cum id ipsum in sermone aut nullum esset aut parum aptum reperiretur, necessitate coacti pro adiectivo substantivum posuerunt: quod plerumque particulis *et* vel *que*, rarius *ac* vel *atque* cum altero copulatur. Verbi causa cum legimus apud Tacit. (Germ. 24.) *de libertate et de corpore* apparet, *corporea* dicere non licuisse: nec magis *de libertate corporis*, quod vix dici potest, nisi ex altera parte oppositus sit *animus*; vel apud Ciceronem (Cat. I. 13.) *aestu febrique*, nemo ignorat, cur non *febriculoso* aut *febricoso* dictum sit. Eadem de causa idem (de Fin. B. et M. I. cp. 9.) *ratio et disputatio* scripsit: noluit nimirum voce *rationalis* uti; simili modo idem (de Nat. D. II. 59.) *coniunctio et comprehensio* dixit; quippe quod non esset adiectivum, quo vocis *comprehensio* vis apte posset exprimi. Atque cum *invida recti ignorantia* aut *fama invida* simplicitas prosae orationis haud sane tulisset, scripserunt Tacitus (h. l.) *ignorantia recti et invidia*, Sallustius (Coni. Cat. 3.) *fama et invidia.*

Similiter duo interdum adiectiva copulata sunt, veruntamen ita, ut alterum quidem loco substantivi sit positum, alterum vim adiectivi retineat; velut fortuita et tristia (Suet. Tit. cp. 8.); tuta et praesentia (Tac. Annal. I. 2.); pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta (Tac. Ann. IV. 3. ubi vid. H. Walth. annot.)

Sequitur *brevitatis* studium, quod quia plerumque ab ingenio animoque proficiscitur; saepe etiam rerum, quae scribuntur, efficitur condicione, et ipsum naturae tribui; eo igitur ducti, si id, quod substantivo adiiciendum esset, non posset nisi pluribus verbis exponi, veteres, ut pressius loquerentur, hac figura uti solebant: quo non modo orationis vigori consuluerunt, sed illud etiam sunt assecuti, ut duarum rerum imaginibus simul oblatis mens et cogitatio vehementius impelleretur. Varie autem ad nostrum praesertim loquendi usum huius generis ratio explanari potest, ut per *et quidem*, *et praesertim;* interdum etiam ex eo vocabulo, quod sic adiunctum est, totam licet sententiam effingere relativam, modo illud teneas, ubique substantivum per ἓν διὰ δυοῖν alteri copulatum partibus fungi adiectivi, sive uno sive pluribus vocabulis vim eius descripseris. Sed ut huius quoque generis exempla quaedam afferam, Virg. Aen. I., 61. molesque et montes insuper altos i. e. altos montes, quorum ingens pondus eos premeret (grosse ungeheuer lastende Berge); monumentis praeceptisque (Cic. de offic. III. 33 extrem. i. e. den zum Behufe einer Gedenkschrift verfassten Vorschriften); memoriam posteritatemque (Cic. Verr. II. 5. 14. fer. extr. i. e. memoriam, quae praesertim apud posteros permaneat); a similitudine et inertia Gallorum (Tac. Germ. 28. 6. i. e. von der, in einer den Galliern eigenen Untüchtigkeit beruhenden, Ähnlichkeit mit diesen); armis legionibusque (Liv. XXI. 10. 3., i. e. mit Waffen und zwar solchen, die von den Händen wohl disciplinirter Truppen geführt werden). Hoc modo saepe etiam caussa efficiens rei effectae addita est; velut dulcedinem corporis et titillationem (Cic. de Fin. III. 1., i. e. den ein für den Körper angenehmes Gefühl mit sich bringenden Sinnenkitzel.); clamore et gaudio (Tacit. Hist. II. 40.) i. e. clamor prae gaudio a militibus sublatus (Freudengeschrei); honore iudicioque (Tac. Agr. 43., i. e. einer aus innerer Anerkennung hervorgehenden Ehrenbezeugung); furore quodam et instinctu (Hist. II. 46., i. e. eine Art enthusiastischer Aufregung); vota virtusque (Agr. 33., i. e. quae vestra virtus concepit seu was ihr Tapferen immer gewünscht habet.); varietas et natura sonorum (Cic. Tusc. I. 35.) et fortasse etiam Caes. de b. g. VI. 21. labori et duritiae.

Huiusmodi sunt ea quoque inter se copulata vocabula, quorum altero definiatur, ad quid potissimum alterius substantivi vis et significatio referatur; ut levis ars et scena (Cic. I. de or. 5.); vel apud Sall. C. Cat. 20., ubi tamen scriptura variat, *spes magna dominatioque* (i. e. die grosse auf unumschränkte Obgewalt im Staate abzweckende Hoffnung). Porro nomina rerum, quae ipsae mutuo usu ac consuetudine iunctae sunt, sic copulata inveniuntur; uti in plaustro equoque viventibus (Tac. Germ. 46.; sunt enim ἁμαξόβιοι, quorum

plaustra, ut Horat. C. III. 24. de campestribus Scythis dicit, vagas rite domos trahunt; *carmina ac devotiones* (Tac. II. 69). Ac simili modo Tacitus Agr. 43. dixit: *speciem doloris animo vultuque* prae se tulit: quibus apte comparari possunt verba Horatii C. IV. 9. 40: Est *animus* tibi ... quoties ... reiecit *alto* dona nocentium *voltu*.

Huc referri potest copulatio duorum adiectivorum, quorum alterum cum vices sustineat substantivi, vim alterius adiectivi circumscribat: ut observatum ac vetustum (Cic. de Div. II. 21., i. e., ut recte Hottinger interpretatus est, longa observatione notatum); *ineptus et iactantior* (Horat. Serm. I. 3. 50., i. e. nimia iactantia ineptus): sed rariora eiusmodi exempla sunt: conf. Roth. l. l. p. 57. sqq., qui tamen in hoc quoque genere modum excedit.

Tertiam huius figurae rationem diximus *diligentiam* esse. Diligentia autem cernitur, ubi scriptor duobus substantivis, quam substantivo et adiectivo uti maluit, ne cum dignitate adiectivum substantivo cederet, notionis adiectivo denotandae pondus nimis deprimeretur, velut *fide et opera* (Tac. Agr. 33.), ubi si dixisset *fideli* opera aliquid detraxisset de eo, quod tamen in operae laude praecipuum esset; *ira et victoria* (Tac. Agr. 16.) *longinquitas et dies* (Cic. Tusc. III. 16. 35.).

His simillimi sunt loci, ubi materia rebus ex ea confectis, aut generi pars eius aliqua, cui plurimum tribuatur, coniuncta est. Sed omnibus his locis etsi ex adiecti substantivi significatione aliquid repetendum est, quo *quale* sit id, cum quo est copulatum, intelligatur: tamen id ipsum, quod adiecto substantivo denotetur, per se est cogitatione percipiendum, ut iam appareat, aliqua tantum ex parte huiusmodi exempla in numero eorum, quae per ἓν διὰ δυοῖν dicta sint, referri posse. Velut; *patera libamus et auro* (Virg. Georg. II. 192.) non pro *aureis pateris* dixit, sed id potius intelligi voluit, pateris libare solitos esse, et vero etiam aureis; conf. Virg. Aen. IV. 636.; *sertis et rosa* (Cic. Tusc. III. 18.); puto, quia praecipue quidem ex rosis, sed non solis ex rosis serta constiterint; eiusdem generis sunt *navigia redimita floribus coronisque* (Curt. IV. 4. 17. extr.); *lanis fasciisque* (Suet. Domit. 17. ubi vid. Bremi.) Huc mea quidem opinione pertinent etiam illa, quae plerique per figuram ἓν διὰ δυοῖν existimant ita esse copulata, ut alterum substantivum genitivi partes sustineat; velut nomen famaque (Liv. XXI. 10.); ingeniis gloriaque (Dial. de orat. 1. ibique Walth.); *disciplina et severitate* (Germ. 25.); sed de toto hoc genere paullo infra dicemus.

Denique *concinnitatis* studio ducti veteres duo saepe substantiva copulare, quam unum substantivum cum adiectivo iunctum ponere maluerunt. Si nimirum in enunciati alicuius altera parte duo essent substantiva, quibus in altera unum tantummodo, cui adiectivum adhaereret, esset oppositum; tum vero ne orationis aequalitas turbaretur, hoc loquendi modo usi sunt; velut Tac. Agr. l. l. voces *virtute et auspiciis* cum antecederent, *fide et opera*, quam fideli opera, scribere maluit; Ann. II. 73. *magnitudinem et gravitatem* — *invidiam et adrogantiam*, i. e. ut cum Horatio (C. III. 2. 45. II. 10. 7.) loquar, *invidendam arrogantiam*.

In hoc genere numerandi sunt ii quoque loci, in quibus pro genitivo alius casus iccirco est positus, ut per particulam copulativam cum antecedenti substantivo posset coniungi. Etenim quamquam non raro duo, interdum etiam tres genitivi eodem loco compositi reperiuntur, tamen cum haec res aurium iudicio plerumque damnetur, concinnitatis et elegantiae causa veteres figura ἓν διὰ δυοῖν persaepe utuntur: quo fit, ut cum genitivo is casus, in quo alterum est substantivum positum, commutetur; velut Tac. Germ. 46. ora hominum vultusque et corpora atque artus ferarum i. e. vultus oris hominum et artus corporum ferarum (conf. G. L. Walchius ad Agr. p. 431. et L. Roth. l. l. p. 28. sq.). Illud tamen negari nequit, ad cogitandi percipiendique rationem aliquid differre, utrum cursu et errore (conf. Cic. Tusc. III. 3.) an cursus errore; beneficio et invidia an beneficii invidia (Tac. Agr. 42.); severitate disciplinae (Dial. de orat. 29.) an *severitate* ac *disciplina* dixeris. Sed cum casus, qui ex alio pendet, ei, ex quo aptus est, aeque cedat dignitate, atque casus obliqui casui recto, adiectivum substantivo; cumque praeterea substantivum, quod per genitivum alteri subiungitur, plerumque in vim adiectivi deflecti possit, velut Liv. XXI. 47.: multorum dierum circuitu (mehrtägigen Umweg); iam apparet, quo iure haec casuum immutatio in hoc numero ponatur. Caveamus tamen oportet, ne vel ea, quae a summa huius figurae ratione discedant, in eius sinum recipiamus: admittemus potius ea tantummodo, quae ita sunt comparata, ut appareat, substantivo, quod per genitivum iudicemus proferendum fuisse, adiectivi partes sustineri, sive quod idem est, significari *qualitatem*.

Ceterum non dubium est, quin duae saepe earum quas diximus rationum confusae sint, velut apud Senec. Quaest. nat. IV. 2. (cursum illi (Nilo) violentiamque eripit latitudo regionum) manifestum est, brevitati simul et diligentiae esse consultum. Itemque apud Liv. XXXVIII. 6. (conf. XXI. 8.).

Substantivum autem, quod cum altero per hanc figuram copulatur, plerumque postpositum esse, interdum tamen priorem locum tenere, monuit iam G. L. Walchius ad Agr. p. 315: nec quamobrem ita fieri possit, quisquam erit, qui ignoret. Sed haec hactenus.

## Cp. 2.

At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit: quam non petissem, ni cursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.

*Cursaturo* tuentur Pichena et Ernestus, quos plerique editores secuti sunt, in eo fere consentientes, *currere* h. l. idem esse, quod *decurrere.* At quos locos ad confirmandam hanc sententiam viri doctissimi collegerunt, iis valde dubito an id, quod volunt, efficiatur. Nam licet in hoc genere magna scriptores argenteae quae vocatur aetatis, maiori etiam omnes omnium temporum poetas usos libertate concedas, nemo tamen dubitabit, quin ratione eam certisque legibus coercuerint. Namque si verbo simplici summa significationis eius, quae est in verbo composito, servatur, ut si quis aliquando dixerit, ponere pro deponere aut proponere, linquere pro relinquere, vertere pro evertere, premere pro comprimere, minere idque antique pro imminere, flammare pro inflammare, ferre laudibus pro efferre, aciem struere pro instruere, quaerere pro inquirere; nunciarunt pro renunciarunt; fugit oculorum aciem pro effugit; cernere pro decernere, et id genus alia; potest sane pro composito simplex poni. Idque poetae, quorum esset, vulgaria spernere, iam iccirco frequentarunt, ut a consuetudine sermonis pedestris orationem avocarent. Praeterea cum significatio verbi compositi vi praepositionis definita magis et circumscripta esset, contra simplex multo maiorem meditandi libertatem daret, iidem, ut hac inveniendi oblectatione animos tenerent, in hoc genere aliquid indulgere sibi soliti sunt. Hunc poetarum morem non raro imitati sunt scriptores, imprimis postquam castitas prosae orationis corrumpi coepta est. Ut vero inficetum foret, composito uti, nec tamen aliud eo, quam simplici significari velle: ita absurdum iudicaverim, simplici pro composito uti, si compositi vis ea est, quae e simplici nequaquam erui possit. Itaque docere pro dedocere, suetus pro desuetus, colorare pro decolorare, (errant enim, qui Horatianum *decoloravere* pro simplici dictum opinentur), bellare pro debellare poni non potest: at minuere pro imminuere, mutare pro permutare, gravare pro ingravare, tenuare pro attenuare et extenuare, ridere pro irridere, vereri pro revereri, latrare, quamquam id iam paullo audacius (uti fere vocare pro provocare, conf. interpret. ad Tacit. Hist. IV. 80.) pro allatrare quin ponatur, nihil impedit: quippe est enim vis simplicis simillima verbi compositi: manet tamen semper aliquid differentiae, in qua indaganda versetur oportet interpretis diligentia. Quod si legimus annotatum, *repetere* interdum idem valere, quod petere, recipere idem, quod capere, factionibus trahi idem quod factionibus distrahi; debacchari, decertare, desaevire, evincere, reddere, persequi, comburere, contueri, succedere idem quod bacchari, certare, saevire, cetera; non inculpanda est scriptorum libido, sed interpretum incuria. Verum ut redeam, unde degressus sum. Recte igitur G. H. Walther negat, *cursare* pro decurrere dictum esse; sed cum idem, quia apud Ciceronem *stadium currere* legatur, *cursare* dicit vocem esse circensem, fateor me nescire, quemadmodum id intelligi velit. *Cursare* autem ait scriptum esse propterea, *quia multiplex sit scriptori cursus in temporibus, quae narret.* Fr. Ritter ut *decurrere,* inquit, totum argumentum pertractare significat, ita verbum *decursare* seu *cursare* de electis argumenti cuiusdam partibus *cursim absolvere* designare potest. Vellem id vir doctissimus exemplis probasset; ceterum *decursare* apud veteres vix reperitur: *decursitant* legitur apud Appul. de D. Socrat. ed. Junt. (ed. Oudend. T. II. p. 170). Haud dubie *currere* ubi de spatio sive locorum sive temporis dictum est, significat in hoc spatio celerius ire: *decurrere* citius id spatium emetiri vel totum vel ad certum usque terminum, quo progredi placuerit. Dein ubi transfertur, *currere* studium rei cuiusdam tractandae atque alacritatem, *decurrere* aut eius pertractandae et absolvendae, ut Virg. Georg II. 39. (Tuque ades inceptumque una decurre laborem), aliisque locis; (vid. Walch. in comment. ad h. l.), aut strictim ac breviter explicandae (conf. Cic. de. orat. I. 32. 148. Korte ad Cic. ep. ad fam. VIII. 13.) studium significat. Itaque ut *διϊκνεῖσθαι* (Hom.

XIX. 186.) aut διαπορεύεσθαι (Polyb. XVI. 26. 2.) a πορεύεσθαι et ἱκνεῖσθαι, sic currere a *decurrere* et *percurrere* (Tac. Ann. IV. 40.: suisque in eum beneficiis modice *percursis*, i. e. der Reihe nach) differt. Illud autem constat *currere* interdum de scribente, *navem* de ingenio atque opera poetarum dici (vid. Ernest. ad h. l. et Mitscherl. ad Horat. C. IV. 15. 3.): nec magis dubitari potest, quin *currere, procedere, evadere* (conf. Ruddim. instit. gramm. II. p. 160.) cum accusativo spatii, in quo vel per quod *curritur, proceditur,* a latinis quoque scriptoribus (de graecis vid. Matth. Gramm. p. 747.) construatur, velut Virgil. III. 191. V. 235. Symp. Aenigm. XIII. 4. Cic. de off. III. 10. 42.: quo loco Chrysippi verba refert; est enim currere aliquem locum idem, quod *cursim locum superare* (darüber hinlaufen). Quod cum ita sit, haud dubium est, quin etiam *cursare* cum accusativo construi possit, velut *cursare aequor, stadium, viam:* quamquam, id quod mirari subit, apud veteres ne unum quidem, quod ego sciam, huius constructionis exemplum reperitur. Est autem omnino verbum *cursare* haud frequentatum. Ceterum cursare a currere aeque differt, ac φορεῖν a φέρειν, τροχάζειν a τρέχειν, πωλεῖσθαι a πέλεσθαι; nisi quod fortasse de hoc verbo idem dici potest, quod de multis aliis frequentativis, quae interdum ad significationem primitivorum videntur recidere, cum scriptores saepe pleniori tantummodo sono oblectatos frequentativis, quam primitivis uti maluisse appareat. Valet igitur cursare aut *iterum saepiusque* in *aliquo spatio* currere aut huc illuc currere, nec non studium quoddam vel impetum currendi indicat.

Jam vero totus hic locus nobis ita explicandus erit, ut fere singulorum verborum pondera ac momenta examinemus.

Quae est natura particulae *at,* satis intelligitur, sequi aliquid, quod iis, quae antecedunt, sit oppositum. Atque scite admodum Tacitus, cum ipse vitam Agricolae narraturus esset, auctoritatem praemunivit excellentissimorum virorum, qui florentissimis rei publicae temporibus ad scribendam vitam aliorum vel etiam suam sese contulissent, conscientiae tantum pretio ducti et ab omni obtrectatione securi. Iis igitur ipse opponitur his verbis: *at mihi narraturo.* — *Nunc* (νυνί) non est *nunc demum*, ut recte iam monuerunt Walchius in comment. et Chr. G. Herzogius ad Caes. de bell. Gall. VII. 59.; sed opponitur iis temporibus, quibus virtutes et facillime genitae et optime aestimatae sunt: ipse hanc vitam scripsit sub beatissimi seculi ortum, quo tamen quanto tardiora infirmitatis humanae remedia essent, quam mala cognitum est. *Defuncti.* Rothius putat: *defunctum* sonare id, quod *modo defunctum* esse, seu paullo ante e vita excessisse. Quod si ita esset, Tacitum diceres prudenter fidei suae statim voluisse consulere, quae, quo recentior esset Agricolae memoria, eo minus in suspicionem vocari posset. At vox *defunctus* ipsa hanc vim non habet: nam et qui olim mortui sunt, *defuncti* vocantur (conf. Curt. IV. cp. 5.: olim vita defuncti.): *hominis.* conf. Cic. pro leg. Manil. 10.: saepe enim hoc vocabulum maius aliquid ac praestantius sonat: *defuncti* igitur *hominis* dicit, non ut excuset, quod non vivo Agricola aut statim post eius obitum hanc vitam scripserit, neque vero ut famae soceri prospiciat, qui tum atrocitate temporum, tum praematura morte praepeditus sit, quominus tantam, quantam clarissimus quisque priorum, gloriam ac rerum gestarum famam assequeretur (conf. Roth. ad h. l. p. 100.: cui fortasse in mentem venerant Taciti verba Ann. IV. 32. XII. 40.): sed ut poeta Venusinus maiora dicturus sollemni illo: *favete linguis* profanum vulgus prohibet, ita Tacitus hoc uno verbo *defuncti* invidiae et obtrectationi, quibus, ut ait Declam. in Sallust. cp. 2. vita defuncti carent (conf. Tacit. IV. 35.) occurrit et pietatis significatione suspiciones gratiae aut ambitionis a semet ipso amolitur. Egregie autem comparatum est, ut, quod in primo quasi limine huius libri atque aditu tectius positum est, id in extremo prooemio his verbis aperiatur: *hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus professione pietatis laudatus erit aut excusatus.* — *Venia opus fuit, quam non petissem, ni cursaturus. Venia* est, cum benevolentiae et voluntatis gratia alicui aut conceditur, ut aut faciat aliquid aut non faciat, aut, si quid commiserit, ignoscitur: (gütige Bewilligung, Nachsicht.). Opponitur igitur severitati vel iniquitati in iudicando aut castigando. Hac igitur venia Tacitus sibi Agricolae vitam narraturo ait opus fuisse: sed addit: *eam* non petiturum fuisse, ni ....

Livius (praef. §. 6.), Sallustius (Coni. Cat. 3. *arduum videtur* cet.), Tacitus in eo consentiunt, ingratum negotium esse, flagitia et malefacta hominum reprehendere et conscientiam suscitare improborum. Et Tacitus quidem Ann. IV. 33. ea, quae conquireret traderetque memoriae, profectura quidem ait, sed minimum allatura oblectationis, non modo obvia rerum similitudine ac satietate, sed quia fieri non posset, quin permulti

ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putarent (conf. Hor. I. Serm. 4. 25. sqq.); etiam gloriam ac virtutem infensos habere, ut nimis ex propinquo diversa arguentem. Neque vero opus tam arduum horruit suscipere: sed hunc ipsum campum delegit, in quo vires et ingenium exerceret. Praevidit, non defuturos sibi obtrectatores (vid. l. l.), eos praesertim, qui ipsi aut quorum necessarii, cum temporum saevitia memoraretur, se notatos sentirent. At quamobrem a paucis id genus hominibus (conf. Walch. in comment.), qui improbitate in communem omnium invidiam incurrissent, tantopere sibi caveret, non video quid fuerit caussae, iis certe temporibus, quibus Plin. IV. epist. 13. 2. secum statuit ac deliberavit, esse magnam pulchramque materiam, insectandi nocentes, miseros vindicandi, se proferendi. Verecundia et humanitate motus, ubi liceret, id virtuti ac famae illustrium maiorum tribuit, ut eorum degeneres posteros non nominatim traderet (Annal. XIV. 14.): at nusquam hic acerrimus servilis patientiae (conf. Agr. 2. 3. Annal. XVI. 16.) ac flagitiorum castigator ad veniam sceleris a se exagitati petendam descendit. Veruntamen, cum primum hoc stadium ingrederetur, magnopere eum providere oportuit, ut et materiem obtrectationum circumcideret et modestiae suae consuleret. Jam vero ex ipsis verbis *quam non petissem, ni,* manifestum est, Tacitum non quod vitam Agricolae narraturus, sed quia tam saeva tempora cursaturus esset, opus sibi fuisse venia ratum. Noverat nimirum seculum: vidit, rerum conversione facta spes hominum cum maxime eo ipso tempore elatas esse: eoque aegrius eos passuros, cruda etiam tum vulnera refricari. Ut soceri laudes, quae res pietatis officio satis commendata erat, aequis animis accepissent, ingratum iis fore ac molestum sensit, affusas esse his etiam laudibus querelas, ingenui doloris plenas, quibus acerbissima pristinorum malorum recordatio moveretur. Huius igitur rei, auspicatus ab hoc scripto (vid. infra cp. 3.: non tamen — liber.) curas ac studia sua, quae ipsa essent in illorum memoria temporum collocata, veniam petivit, eamque necessitate excusatam voluit: quippe cum et huius vitae ratio non pateretur atrocia tempora silentio a se praetermitti et ipse iam iccirco mentionem eorum iniicere cogeretur, ut si quid ingenii artisque in hoc ceterisque, quae mox editurus esset, scriptis desideraretur, id temporum illorum saevitia, quae maxima ingeniis vulnera inflixisset, defenderetur.

De coniecturis igitur *caussaturus* Gesneri, probatum J. H. Beckero, mihi parum aptum videtur (conf. Tac. Hist. III. 39. Hist. XIII. 44., alibi: vid. omnino Drakenborch. ad Liv. I. 32. 2.). Lipsii *incusaturus,* damnatum a L. Walchio, receptum ab Jmm. Bekkero, crassiori filo est: nam quod verbo *cursare* tectius significatur, id *incusare* aperit et ostentat. Rhenani denique incursaturus propius accedit: valet enim huc illuc non sine animi impetu incurrere (conf. καταδρέχειν. Dionys. Hal. de Thucyd. hist. iud. cp. 2.: καταδρομὴν ποιεῖσθαι Polyb. XII. 23.). *cursare tempora* autem a Tacito puto scriptum propterea, quia huic libro non propositum erat, ut ea enarraret, sed quasi praetervehendo tantum attingeret. Restat, ut totum locum in patrium sermonem convertam:

Ich hingegen, als ich in unseren Tagen Hand an die Abfassung der Lebensbeschreibung eines hingeschiedenen Mannes legte, sah mich zum voraus genöthigt, willfährige Güte in Anspruch zu nehmen, um welche ich nicht nachsuchen würde, führte mich nicht der Lauf meiner Erzählung hier und da über so grausige und jede Tüchtigkeit anfeindende Zeiten hinweg.

## *Cp. 5.*

Nec Agricola licenter ad voluptatem et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit.

Cum plerique iuvenes nomen tribunatus probro inscitiae onerarent, Tacitus arguta brevitate *nomen tribunatus et inscitiam* dixit. *Retulit* sane priori magis vocabulo, quam posteriori aptum est, sed quia voces *et inscitiam* ita sunt explicandae, ut intelligas *nomen tribunatus cum inscitia iunctum* (conf. Ann. II. 56. Armenii maximis imperiis interiecti et saepius discordes sunt i. e. eo ipso, quod magn. imp. interiecti sunt, saepius sunt discordes, quam forent, si non essent interiecti. Hist. III. 56. iucundum et laesurum i. e. und was eben dadurch nachtheilig werden sollte. Vid. Roth. l. l. p. 48. sqq.): durities locutionis mollitur. Quod vero *referre* ad *gloriam, laudem, virtutem,* idem arbitror valere hoc loco *retulit ad vol. et commeat.* Nam *referre* proprie significat aut etwas wohin wieder zurücktragen, aut etwas auf etwas zurücktragen seu zurückbringen: inde translate etwas in Beziehung bringen zu etwas: etwas bei etwas im Auge haben, beabsichtigen, etwas als Zweck von etwas ansehen. Jure igitur H. Walther negavit, *aliquid referre ad aliquid* esse *aliqua re uti ad aliquid*: nec puto quemquam ita locutum: ipse tamen in proferendis exemplis, quibus sententiam suam firmaret, in-

credibiliter omnia confudit ac miscuit. Haud dubie significat verbi causa *decus seu ignominiam seu pecuniam domum*, *Romam retulit*, er brachte das und das zurück: et simili modo dici potest: ad voluptates vitae urbanae tribunatus nomen et inscitiam retulit: at illud nullo pacto fieri potest — obstat enim totius huius loci ratio — ut statuamus, per *ἓν διὰ δυοῖν* verba *voluptates et commeatus* explicanda esse: duo enim in iuvenibus reprehendit, lasciviam et segnitiem, atque alterum spectat vox *voluptates*, alterum *commeatus*: utroque autem inscitiam contrahebant. Ego igitur haec verba hoc modo interpretanda censeo: Und es machte freilich Agricola weder in Ausgelassenheit nach Art und Sitte junger Männer, die den Kriegsdienst zu läppischem Zeitvertändeln verkehren, noch aus Mangel aufstrebenden Geistes Vergnügen und Beurlaubungen zum Zwecke des so allerdings von aller Kenntniss und Routine entblössten Tribunentitels. *Inscitia* enim, cuius vocabuli significationem diligenter explicavit A. Gotth. Gernhardus ad Cic. Parad. III., vitium est, quod exprobratur iis, qui cum arte et exercitatione minus instructi firmatique sint, in re gerenda utilem operam praebere nequeunt.

## *Cp. 6.*

Vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo; nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est. — Ern. Dronkius, L. Walchius et L. Rothius consentiunt Gronovio, qui ante v. v. *nisi quod* per ellipsin omissa censuit verba: *quod utrique honestum:* sequentia autem ipsi hoc modo explanant: nisi quod in bona uxore laus tanto maior (quam in viro bono), quanto in mala plus culpae (quam in viro malo) est. Egregie haec quidem: sed de ellipsi iam Ernestus monuit, etiamsi verba *quod utrique honestum* adiicerentur, superesse tamen interpretandi huius loci satis magnam difficultatem, insequentibus verbis *nisi quod;* quae verba correctionem sententiae praecedentis in contrarium indicarent. Huius viri auctoritate motus satius duxi, memet ipsum in hanc rem inquirere, quam stare alienis opinionibus. Ac primum quidem mihi persuasum est, nisi quod (ausgenommen dass, nur dass) aeque ac *nisi,* ubi ausgenommen vel nur significet, negativis tantummodo sententiis subiungi; sed cum ea, quae per negationem enuntiari possint, immutatis paullulum saepe verbis speciem sententiae affirmativae induant, non raro verba *nisi quod* etiam affirmativis sententiis subiuncta reperiuntur. Quod ut exemplis illustrem, paullo infra cp. 16. cum legimus: *eadem inertia, eademque castrorum petulantia, nisi quod;* perspicuum est, Bolanum non magis strenuum ac severum fuisse, quam Trebellium, nisi quod. Ann. I. 33. explicari sententia hoc modo potest: Agrippina non sedatior erat, quam Livia et Plancina, nisi quod. Cic. ad Att. II. 1. *Tusculanum et Pompeianum me valde delectant, nisi quod;* haec idem sonant, ac si diceret: Tusc. et Pomp. nihil habent, quod mihi displiceat, nisi quod. Tacit. Hist. IV. 39. vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque cet. Etenim sententia est: Domitiani nomen epistolis edictisque praeponebatur quidem: sed vis penes Mucianum, non penes eum erat, nisi quod — audebat. Ann. II. 19. silvas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus unum lato aggere extulerant, i. e. ne silvae quidem palude circumdatae ulla parte subiri poterant, nisi quod. Omnes igitur sententiae affirmativae, quibus *nisi quod* subiuncta sunt, eiusmodi esse debent, quae eaedem per negationem enuntiari possint. Enucleata autem vis verborum *nisi quod* haec est: non (sc. ita erit), si (sc. id dixeris seu pensi habueris), quod. Illud ergo intelligitur, particula *non* negari seu, ut Ernestus ait, in contrarium verti praecedentem sententiam. Id ipsum tamen quodammodo efficitur, si res modo sine exceptione proposita continuo cum exceptione enuntietur. *Praeterquam* contra non ad totam sententiam, sed unam aliquam rem, quae excipiatur, referendum est. Sicuti autem *postquam* proprie sonat nachher in wieferne i. e. nachher als, ut iam flectatur ad significationem nachdem (conf. tamen Perizon. ad Sanct. Minerv. p. 490.), ita *praeterquam* valet nebenhin i. e. mit Ausschluss in wieferne seu in wieweit: quam eius vim hoc modo licet expedias: praeter (adverb.) quam id attinet, quod. Utriusque igitur commune est, excipi aliquid, sed *nisi quod* sententiam iudicantis, *praeterquam* rem ipsam spectat: altero ea fit exceptio, qua sententia praecedens invertatur, altero, qua res aliqua circumscribatur. Necesse est autem, id, quod excipiatur, iis, unde excipiatur, quoquo modo contineri, ut Suet. Vitell. 7.: adiutum putant T. Vinii suffragio, nisi quod Galba prae se tulit cet. i. e. praeter T. Vinium non ab alio adiutum Vitellium putant: verbis *non ab alio* continetur *Galba* quoque: qui tamen excipitur, quia ipsa voce, quam emisit, Vitellium adiuvit, quamquam contemtu magis, quam gratia. Tac. Ann. XIV. 14.: nam *vis necessitatis* quam dicit, cum posita sit in ipsa

mercede ab eo, qui iubere potest, data; id, quod excipitur, quemadmodum verbis *donis ingentibus* continetur, manifestum est, modo sententiam ita explanaveris: equites romanos, ut arenae operam promitterent, donis ingentibus, non vi ac necessitate adacti sunt, nisi quod — affert.

Quae cum ita sint, si hoc loco, de quo agitur, ad supplendam sententiam addideris: *quod utrique honestum,* cum sequantur *nisi quod,* restabit, quo haereas. Etenim absurdum foret putare, Agricolae idem non honestum fuisse. Nec vero Gronovius non recte vidit: sed quo facilius, quae sententiae ratio sit, intelligatur, mutata verborum consecutione finge scriptum esse: vixeruntque per mutuam caritatem et invicem se anteponendo (conf. Rutil. Itiner. I. 471. sqq.) concordia (qui est abl. modi) *mira*. *Mira* dicit i. e. quae admiratione seu summa laude digna erat. Quod cum de utroque praedicetur, non minus laudis hoc quidem nomine tribuendum marito, quam uxori: iam vero apte subiunguntur: *nisi quod maior laus,* quam sententiam rursus laudem et culpam comparando exposuit. Verto: Und sie lebten in wechselseitiger inniger Werthschätzung und indem gegenseitig eines dem anderen den Vorzug vor sich gab, in höchst lobwürdiger Eintracht: nur dass freilich an der guten Ehegattin Löbliches eben so höher gestellt, als der bösen mehr Verantwortlichkeit zugeschoben wird. De significatione *culpae* confer sis Hist. I. 49.

Ludos et inania honoris modo rationis et abundantiae duxit, ut longe a luxuria, sic famae propior.

Ad sententiam simillima sunt, quae apud Ciceronem l. II. de off. cp. 16. et 17. leguntur: at verba *modo — duxit* interpretes vehementer vexarunt et ipsa vexata sunt. Lipsii coniecturam Imm. quoque Bekker et L. Rothius amplexi sunt, atque hic quidem (I. l. p. 39.) *moderationis et abundantiae* per ἓν διὰ δυοῖν dictum putat: postmodum tamen codicis Vat. 3429. scripturam *medio* coniecturae Lipsii anteposuit: quod iam H. Bekker fecerat: at haec scriptura perquam speciosa si diligentius excutitur, concidit. Nam, id quod L. Walchius primus vidit, res postulat, ut non quid senserit Agricola, sed quid fecerit, memoretur. Vulgatam, quae veterum librorum auctoritate firmatur, Ern. Dronkius, L. Walchius, Fr. Ritter tuentur; atque Dronkius quidem *duxit* interpretatur *ratus* seu *arbitratus est,* Ritter *aestimavit* (berechnen, abwägen); L. Walchius atque H. Walther, non audientes Ernestum, ludos ducere idem dicunt esse, quod *ludos facere* seu *edere,* inducti similitudinis specie, quam habent locutiones pompam, choros, funus, exsequias ducere: quae immane quantum ab illa locutione differunt. Nec vero Demosthenis loco (orat. in Mid. Tom. IV. p. 513. ed. Imm. Bekkeri) τὰς πομπὰς ἡγεῖτο (ubi V. Scr. ἐποιεῖτο) quidquam probatur. Reperi ἄγειν θέας μουσικὰς καὶ θυμελικὰς (Plut. Ages. 21. 2. Dio. Cass. 37. 8.) ἐπιτελῶν θέας παντοδαπῶν ἀγώνων (Plut. Aemil. Paull. 28.) διετέλεσεν ἀγῶνας ἐκπρεπέστατα (Dio Cass. 47. 20.) ἔθηκεν ἀγῶνα (Dio Cass. 60. 17. extr.) θέας τινὰς ἐποίησεν (id. 53. 26.; 79. 24.) ἐπέδωκεν ἀγῶνα (Appian. bell. civ. 2. 102.): ἡγεῖσθαι ἀγῶνος seu ἀγῶνι non reperi. Atque Tacitus Ann. I. 15. 76. XI. 11. XIII. 49. XIV. 17., 20., 21. XV. 34. ubique edere ludos, spectacula, gladiatores. Vopisc. Aurel. 12. editio (conf. Tacit. III. Ann. 37.), Vopisc. Carin. 20.: editio circensium. Praeterea si *ducere ludos* interpretemur *edere ludos,* et verba inania honoris, etiamsi sint in appositione collocata, parum concinnnt, quod Fridericus quoque Ritter, ut postea cognovi, iam animadvertit, et voces *modo rationis et abund.* ab hac imagine rursus ad aliam nos eamque prorsus diversam verbi *ducere* significationem avocant. Alienum est autem ab hoc loco Horatianum illud (Carm. IV. 2. 49.): tuque dum procedis cet.; nec magis conferri possunt verba Ciceronis (Tusc. I. 29. 20.): moderator tanti operis ac muneris: nam idem dixit etiam architectum tanti operis tantique muneris (de nat. Deor. II. 35.); nec tamen quisquam unquam *spectaculorum* seu *ludorum architectum* dixit. Docte et acute Rothius (vid. eius annot. ad h. l. p. 14.) refellit, quae Walchius de pompa illa circensi iactat. Equidem consentio, verbum *ducere* hic quoque ea vi esse positum, quam in rationibus subducendis habet, velut apud Varronem de re rust. III. 16. (ed. Bipont. Tom. 1. p. 238.): hoc nunquam minus, ut peraeque ducerent (um den Mittelertrag zu schätzen) dena mill. cet., vel apud Petron. Satir. 80. 9.: nomen amicitiae, si quatenus expedit, haeret; calculus in tabula mobile ducit opus i. e. si amicos nominemus, ex quibus nos aliquid commodi speremus capturos; amicitia res erit mutabilis, quae quasi in tabula ad calculum vocatur (die ordentlich ausgerechnet wird): conf. Anthol. lat. l. V. cp. 80. Quod L. Rothio vocabulum *modo* displicuit, in eo cum illo dissentio: satis erit laudasse Vell. II. 22.: et modus culpae ex pecuniae modo constitueretur. Ut vero *vacationes* praestare (Tac. Hist. II. 46.), obstupuerant ab omni conatu (Liv. XXXIV., 27. 9.) maris imprudentes (Liv. ibid. 9.), dura navis mala (Horat. C. II. 13. 27.), Gallia nunc *malis fructibus*

agitata (Sall. fragm. p. 260. ed. Bremi), maris ratio reddenda (ib. p. 283.), rapti, qui tributo aderant (Tac. IV. Ann. 72.) pericula polliceri (Tac. II. Ann. 40.), increpans (ibid. I. 39.), bellum sibi poscere (III. 43.), gloria (Ann. II. 20. Horat. Epist. II. 1. 177.), praeda (Tibull. II. 3. 35.), libertas (Germ. 38.), virtus inventa et perfecta (Cic. Tusc. V. 1.); sex suos consulatus obruere (ib. 19.) aliaque huiusmodi ita interpretanda sunt, ut plenius quid sonent, sic *ludos et inania honoris duxit*, praesertim cum *ducere* ipsum significet *pretium statuere*, idem puto valere, quod *sumtus in ludos et inania honoris duxit:* totumque locum sic verto:

den Aufwand auf Spiele und eitelen Amtsprunk berechnete er nach dem von vernünftiger Erwägung des Zwecks und seiner Mittel Reichlichkeit gebotenen Maasse, wie weit entfernt von Verschwendung, so näher dem guten Rufe sich haltend (i. e. stets mehr auf den guten Ruf bedacht). Ita non tam quid Agricola de toto hoc genere iudicaverit, quod iam ex verbis *inania honoris* satis intelligitur, quam quid in faciendis ludis secutus sit, apparet. Contra nimirum quam alii (conf. Cic. l. l.), qui aut magnificentia ludorum opes suas temere exhaurirent, aut nimia parsimonia in avaritiae suspicionem incurrerent, Agricola, cum a luxuria longe abesset, famae tamen esset propior, rem certo iudicio ponderans modum rationis et abundantiae tenuit.

## *Cp. 9.*

Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus provinciae Aquitaniae praeposuit splendidae imprimis dignitatis administratione ac spe consulatus, cui destinarat.

L. Rothius a ceteris interpretibus dissentiens, verba *splendidae — dignitatis* cum ablativo *administratione* ita iungit, ut illa ab hoc, non hic ab illis pendeat. Nam ipso ordine verborum intelligi, genitivos istos ex ablativo pendere: dein *dignitatem* administrationi aut administranti, non provinciae i. e. regioni seu terrae tribui posse: denique si *administratione* aptum esset ex voce *splendidae*, scribendum fuisse aut *et* adm. *et* sp., aut *ipsa* administr. Haec Rothius: nec obiici potest, *splendidae dignitatis administratione* esse ambigue dictum; etenim nisi genitivi qualitatis esse non possunt. Etiam illud non dubium est, quod Rothius de vocabulo *dignitas* animadvertit. Cicero quidem Verrin II. 2. 1. *pauca mihi videntur esse de provinciae — Siciliae — dignitate, vetustate, utilitate dicenda:* sed id aliud est. Veruntamen quibus exemplis vir doctissimus hanc suam sententiam firmari dicit, iis certe id non efficitur. Etenim omnibus locis, quos Walchius (comment. p. 198. et 228.) congessit, est ablativus aut qualitatis aut causalis qui vocatur: cuius usu si veterum modestiam a posterioribus non servatam esse appareat, nusquam tamen eo licentiae progressi sunt, ut non vel ea, quae novitate videantur praecellere, ad naturam ablativi propriam et ad sermonis consuetudinem revocari possint (conf. Böttich. Proleg. p. 60.), dummodo ne ad patrii sermonis usum hos locos redigamus: velut Cic. Tusc. I. 1. 1. graecis et literis et doctoribus, ablativi non offendent; omissum est enim verbi substantivi participium, quo participio sermo latinus caret. Caesar b. c. I. 85. ablativi *nimia pertinacia atque arrogantia* aut eodem modo explicandi sunt, aut sunt causae efficientis (in Folge): nam eo ipso, quod sunt nimis pertinaces, fieri solet, ut cet. Jbid. cp. 50. *rapidissimo flumine* est ablativus instrumenti: nam difficultas illa nata est rapiditate fluminis, quae maxima erat. Tac. Hist. I. cp. 31. ablativi *odio, metu, severitate* nihil habent offensionis; nam ipsa locutio *plurima materies* definit illorum ablativorum rationem; est enim quomodocunque patrio sermone interpretatus eam fueris, causae efficientis seu instrumenti. Agric. cp. 11., ne Plauti illud (Bacch. V. 654.) *mendaci prendit* repetam, perspicuum est, dici posse aliquid deprehendere *aliqua re* (mittelst etwas) et in aliqua re (in einer Sache): intelligi autem voluit, ex superstitionibus, de quibus persuasum esset Britannis cognosci, sacra Gallorum in insulam importata. Suet. Claud. 29. Compendio — largitus: nihil mutandum est: explica: cum id compendium — esset, largitus est. Cic. de legg. I. 15.: quas non metu, sed ea coniunctione — conservandas puto: nostrates dicunt: wegen, um; latini intellexerunt d u r c h: nam sententia est: non metu puto, sed ea coniunctione... fieri, ut dignae sint, quae conserventur. Tac. III. Ann. 24. deprecari ausus est M. Silani potentia: quia potentia fratris fecit, ut auderet, per eum deprecari. Sed haec hactenus: non enim licet nunc quidem copiosius de hac re disserere. Ad hanc igitur rationem si revocemus ablativos *administratione ac spe*, vereor, ne haereamus: facilius eos ferrem, si Agricola subiectum esset et verbum, velut petivit, ambivit, aliud huiusmodi, esset additum: tum enim dispicerem eam ablativi rationem, quam saepissime adiecto participio, ut *motus, ductus,* illustratam videmus. At vero si *administratione* ad hanc ratio-

nem interpretando traxeris, resistet etiam magis vox *spe.* Transfer ad verbum: bei seiner Rückkunft — setzte ihn Vespasian über die Provinz Aquitanien, bei sive in Folge sive mittelst der Verwaltung von ganz besonders glänzender Würde, so wie der Hoffnung auf das Consulat. Haec, aperte fateor, mihi non admodum placent. Quae denique Rothius requirit, *et — et* aut *ipsa* adm., non ita desiderantur, sequenti particula *ac:* de cuius significatione vid. Herzog. ad Caes. b. g. IV. 25. et Ferd. Hand. Tursell. Tom. I. p. 458. sqq. Quae cum ita sint, si germana est scriptura, potius videtur esse, cum ceteris interpretibus *ablativum administratione* iungere cum voce *splendidae.* Quemadmodum autem Liv. XXI. 21.: bellum ingentis gloriae praedaeque futurum, dixit: sic hoc loco dictum puto: *splendidae — dignitatis* i. e. quae provincia splendidam dignitatem tulit. (conf. VI. Ann. 27.: et non permissa provincia dignationem addiderat). Nec tamen me piget referre suspicionem, quae aliquando mihi suborta est. Suspicatus nimirum sum, loci difficultatem natam oscitantia librarii, qui cum scribendum esset *dignitate administrationis,* casus inverterit. Quae suspicio si non audacior sit, legam: provinciae Aquitaniae, splendidae imprimis dignitate administrationis ac spe consulatus. Ammian. Marcell. XV. 11.: hae provinciae urbesque sunt splendidae Galliarum. In Aquitania cet. Nepos v. Alcib. 11. Athenis, splendidissima civitate. Ellipsis pronominis *eum* est haud dubie durior: sed mitigatur, quod *revertentem,* ad quod cetera referuntur, initio totius sententiae positum est, velut Hist. I. 8.: fuere, qui crederent, Capitonem ..... postquam impellere nequiverint. Horat. I. Serm. 4. 70.: cum *libellos* in extremo versu positum aures personet, *eos* ad verbum *recitare* omitti potuit. Guil. Bötticher interpretatur: *cui eam destinarat.* Sane veteres dixerunt, *destinare alicui provinciam* (cf. Liv. XXI. 22. XXVIII. 40. et infra cp. 40.) et locutio *consulatui aliquem destinat* redolet Taciti aetatem: sed cum *cui* valeat *si cui,* vehementer dubito, an indicativus ferri possit. Ceterum quo auctore Ernestus comprobaverit, provinciam Aquitaniam per se aditum ad consulatum aperuisse, nescio. Suetonii loco (vit. Galb. cp. 8.) probari id nequit. Quemadmodum vero verba *cui consulatui eum destinarat,* propterea, quod infra sequantur *ad spem consulatus revocatus est,* ταυτολογίαν sapiant (vid. Böttich. annot. ad h. l.), non perspicio.

Nulla ultra potestatis persona tristitiam et avaritiam exuerat, nec illi, quod est rarissimum — diminuit.

*Nulla ultra potestatis persona* dedit primus Rhenanus, quem plerique recentiorum secuti sunt: H. Becker tamen, Hertelius et Rothius scripturam Vatic. 3929. atque vett. cod. *nullam ultra pot. personam* tuentur: nam ex sequenti *exuere* repeti debere *induit.* Hanc opinionem Rothius exemplis quibusdam firmare conatus est (vid. excurs. 32. 1.): at vero iis nihil aliud comprobatur, nisi Tacitum quoque audaciori interdum zeugmate usum esse. Haec figura, acuminis atque brevitatis causa inventa, frequentatur a poetis; in prosa oratione, quo modestior ea et purior est, eo rarior ipsa ac lenior est: quo autem magis fucata est oratio, eo frequentior fieri solet et tanta saepe esse audacia, ut nihil poetarum audaciae cedat. Ubi *verbum* per zeugma unum pluribus substantivis iunctum est, quatuor potissimum modis id, quod substantivis quamvis diversis conveniat, inveniri potest. Etenim aut veriloquii ope propria eius verbi vis, quae non raro obsoleta est et antiquata, indagari et retineri debet, aut cum interdum propria et translata eiusdem verbi significationes confusae sint, eas iam dissolvi ac dirimi necesse; aut ex verbi significatione id eliciendum est, quod animum a parte ad genus traducat, aut denique tota locutio, quae verbo et nomine ei adiuncto conficitur, alia eiusque simili commutari debet, quae verbis differat, re congruat. Jam vero paucis quibusdam exemplis rem illustrabo. Tacit. Ann. III. 33. pacem, bellum morentur: propria huius verbi significatio cum utroque substantivo apte iungi potest; conf. cp. 34., ubi legimus: nec ullum in eo pacis impedimentum. Ann. IV. 72.: boves, agros, *corpora* coniugum et liberorum servitio tradebant: tenenda est vis propria vocabuli *servitio:* praeterea accedit, quod verbum *tradebant* postremum locum tenet. Annal. II. 29. III. 36. modo propria, modo translata significatione *tendere* et *intentare* posita sunt: (conf. IV. Ann. 12. habitum et voces induebat: Liv. XXXVII. 25. expedire tela animosque iussi.). Virg. Georg. I. 93.: ne tenues pluviae rapidique potentia solis acrior aut Boreae penetrabilis frigus adurat: verbo *adurat* quasi involuta est significatio *nocendi:* huius igitur notionis vis apte distribuenda erit, (conf. Voss. ad h. l. et ad IV. Georg. 530.). Cic. Tusc. V. 23. 63.: alterius mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur: qui est unus suavissimus pastus animorum: alterius in caede et iniuriis: *alebatur* ipsum parum convenit verbis *in caede et iniuriis:* sed ad *pascebatur,* quod illius simile est, animus antecedente verbo *pastu* ultro transfertur. Horat. Serm. I. 3. 10. saepe velut qui currebat fu-

giens hostem, persaepe velut, qui Junonis sacra ferret: *currere* enim est cursim *ire*: itaque ibat, saepe cursim, velut fug. host.; saepe velut qui Jun. sacr. ferr.; quibus verbis intelligitur *tarde*. Tacit. Ann. VI. 24. *caedibus complevisset*: certe *nurus*, *filius* caedibus compleri non poterant: sed domum *caedibus complere* fere idem sonat, quod *caedendo sanguine opplere*, quod et iis, qui caesi sunt, et domui apte coniungi potest: illi enim perfusi sunt suo, domus eorum sanguine. Ubique igitur analogia regnat: in contraria autem diduci *zeugma* non potest: id mea quidem opinione absurdum foret. Atque si locos, quibus Rothius sententiam suam maxime communivit, diligentius consideraveris, facile videbis, non posse quod hoc loco esse statuunt zeugma, satis defendi. Nam Hist. I. 8. pacis *artibus* est ablat. qualitatis; durior haud dubie est illa constructio, sed *pacis* locum tenet adiectivi, velut si diceres: Cluvius Rufus, vir facundus et *artibus pace celebratis*: pacis autem scripsit, quia non *bellicis* opponitur, sed *belli*. conf. Ann. I. 19. Blaesus multa dicendi arte: quem locum iam laudavit H. Walther. Ann. XII. 64. *nequibat* certe idem est, quod *non quibat*, ut XIII. 56. *non potest*. Ipso autem ordine verborum nonne in his locis satis cautum est, ut ne quis ambigeret? Accedit vox et sonus, quibus haec et huiusmodi distinguenda sunt: denique totus color eorum locorum, quos Rothius proposuit, alius est. Quod cum mihi persuasum sit, toto animo emendationem Rhenani amplector. Offenderunt praeterea verba: tristitiam exuerat; quae vitia ab Agricolae moribus abhorrerent. L. Walchius acutius, quam verius verba arrogantiam et avaritiam interpretando loci difficultatem summovere conatus est. At tristitia, etsi eorum, quae hoc loco nominantur, minimum vitium est (conf. Cic. Lael. cp. 18.), tamen cuius animum occupavit, eum non patitur facilem esse: quae virtus in Agricola laudatur. Est enim tristitia plerumque is habitus animi vultusque, quo aliis horrorem incutiamus (das düstere, abschreckend finstere Wesen): a quo severitas permultum distat (Plin. Epp. VIII. 2. 1; Panegyr. cp. 80., Ernest. ad Suet. Galb. 23. extr., Heindorf ad Horat. Serm. I. 5. 103.). Namque severitas, quae quidem nunquam ab officii religione declinat, iure in virtutibus numeratur. Arrogantia in eo reprehenditur, qui plus sibi sumit atque ab aliis sibi tribui vult, quam ei licet, sive auctoritatis, sive honoris sive commodorum (conf. Ann. XIII. 2. aliisque locis). Quocirca Hist. I. 50. in praecipuis validiorum vitiis arrogantia et avaritia referuntur. Quid avaritia sit, constat: (conf. Cic. Paradox. I. cp. 3. 10. Tusc. IV. 10. 26. Senec. de benef. II. 27. et ep. 90. p. 364. ed. Lips. Plin. Panegyr. 50.). Nec vero apud Ciceronem de off. II. 17. avaritia est, quam nos dicimus »Knauserei«, sed nimia augendarum opum cupiditas: qua qui captus tenetur, certe de opibus comparatis nihil detractum vult (conf. Horat. Serm. I. 1. 43.): eamque ob rem Cicero l. l. monet, ne quis nimia parsimonia in suspicionem avaritiae incurrat; neque apud Tacitum usquam me legere memini hoc vocabulum, nisi hac ipsa significatione: (conf. H. I. 5. 7. 37., alibi. Ann. IV. 72. XII. 39. XIII. 1. (per avaritiam (Habsucht) ac prodigentiam (Vergeudung) mire congruebat) 18. 48. XIV. 32. (quam avaritia in bellum egerat) 56. XV. 20., alibi). Haec igitur vitia cum in Agricolam non caderent, quomodo exuere poterat? Exuerat, inquit, est *plane carebat*. Rothius, non ita est, inquit, immo significat: ein für allemal, gänzlich abgethan haben, damit fertig geworden sein, ut VI. Ann. 25.: haec est vis plusquamperfecti. At plusquamperfectum vim propriam suam ubique retinet. namque res aut reapse, antequam aliud fieri coepit, transacta est, aut tanquam peracta cogitatur: qua vi ab historicis saepe ponitur, ut statim ac momento temporis aliquid evenisse indicent. At verbi *exuere* significatio ipsa non mutatur: sane si quis aliquid exuit, non amplius gestat; ergo eo vacat: sed ut *exuat*, indutus fuerit seu habuerit, necesse. Ann. II. 72.: non poterat Germanicus Agrippinam orare, *exueret ferociam*, nisi esset ferox. VI. 8. *Seiani amicitiam ceteri falso exuerant;* tanquam vestem attritam deposuerant, qua se indui ante vehementer cupiverant. VI. 26.: Agrippina virilibus curis feminarum vitia exuerat: nimirum indole horum vitiorum Agrippina ut mulier praedita erat; sed muliebrem naturam adsuetudine virilium curarum supresserat.

Itaque ut omnibus locis — qui plurimi sunt: erat enim haec vox Tacito in deliciis — propria vis eius servata est, ita hoc loco quoque: non enim se, sed potestatis personam Agricola exuerat vitiis, quibus plerique provinciarum rectores eam induebant. Puto enim aeque, atque H: IV. 57. (Galbam et infracta tributa hostiles spiritus (sc. ipsis) induisse), omissum dativum pronominis: de qua constructione conf. Ovid. Metam. VII. 318. Senec. ep. 90. (vanitatem exuit mentibus). Totius igitur loci sententia est: nulla ultra potestatis persona: — tristitiam et arrogantiam et avaritiam ei exuerat: quae sunt quasi per parenthesin dicta, ita ut verba *nulla ultra persona* excipiantur verbis *nec — deminuit: nec* i. e. nec vero, nec tamen, velut III. Ann. 24. Stat.

Silv. III. 177. Cic. Tusc. I. 24. 58. Liv. IV. 30. 1. Suet. Calig. 10., aliis locis. Interpungendum igitur nostro more: nulla . . . persona — trist. . . . exuerat — nec illi . . . deminuit. Verto: Sobald der Pflicht Genüge gethan war, trat er nicht weiter in der Hoheit der Amtsgewalt auf — von abschreckender Kälte, Anmaassung und Habgier hatte er sie ohnehin völlig entkleidet — und doch minderte ihm, was so selten ist, weder leutseliges Wesen das amtliche Ansehen, noch sein durchgreifender Ernst für Recht und Pflicht die herzliche Zuneigung. His apte cohaerent sequentia: nam qui ita sentit, ita se gerit, in eo integritatem (Rechtlichkeit) atque abstinentiam (Enthaltsamkeit von gesetzlich unerlaubten Vortheilen) laudare, iniuria virtutum foret; velut Cic. de off. II. 22. laudat, inquit, Africanum Panaetius, qui fuerit abstinens: quidni laudet? sed in illo alia maiora.

## Cp. 10.

Dispecta est et Thule, quam hactenus nix et hiems appetebat, sed mare pigrum . . . attolli.

Viri docti tum alii, tum G. L. Walchius coniecturam *abdebat* receperunt. Equidem eam non tam certam et ab omni parte munitam duco, ut vulgatae praeferam. Recte enim Ernestus monuit, latinitatem postulare *abdiderat*. Deinde si antehac nix et hiems insulam abdidisset, qui tandem fieri poterat, ut non ignoraretur, esse insulam Thulen? Et si antea nive et hieme insulae prospectus ademtus erat, nonne casu et fere miraculo factum est, ut tum nix et hiems cederent. At risit Tacitus eos, qui cum Thulen non vidissent, nives et hiemem causarentur, (conf. Walch. in comment. ad h. l.). Immo vero Tacitus narrat, tum primum Romanam classem circumvectam illas Britanniae oras: pervenisse eo, ut dispecta sit Thule quoque: memorat deinde, quid de caeli marisque natura Romanis in illis regionibus cognitum sit: numquid in his reperitur, quod irrisionem priorum spiret? Nec probabile est, vocem *appetebat* librariorum errore natam esse. Consentio igitur H. Beckero, Fr. Rittero et L. Rothio, qui vulgatam servarunt. *Hactenus* Becker et Ritter, viri doctissimi, hoc loco *ad id usque tempus* significare censent. Non negaverim, posse hanc significationem huic voci vindicari, cum particulae loci saepissime ad temporis significationem transferantur: sed usus est huiusmodi rerum arbiter. Quicquid erit, certe dubium manet, an tempus significet *hactenus* (conf. Böttich. lex. Tac. s. h. v.). Ann. XIII. 47. falluntur, qui interpretentur » bis dahin « meliusque videtur esse, omnibus locis *hactenus* reddere » in soweit, in soferne. « Quod vero maius est, Beckeri et Ritteri interpretatio postulat scribi *appetiverat:* quorum alter cum interpretatur, erblickt wurde auch Thule, welchem bisher (nur) Schnee und Wintersturm (nicht Menschen und Flotten) sich feindlich annäherten, declinat, non superat loci difficultatem, et ipse specie quadam eluditur. Etenim sententia horum verborum accuratius examinata corruit. Nec quod addunt, *tantum* (nur), id a Tacito omitti potuit. Denique si haec interpretatio vera sit, non intelligo, quemadmodum *sed* sequi possit. Rothius *hactenus* ait esse » so weit und nicht weiter, sc. ut dispici posset « Schnee und Sturmwetter hausten gegen dies ihr Eiland Thule (nur) soweit, dass man dasselbe doch (potius eben nur) sehen konnte: aber . . . Sed ne sic quidem, ut alia praetermittam, sententia non laborat. Redde verbum pro verbo: nur so eben geschaut wurde auch Thule, welches in soweit Schnee und Sturmwetter anfielen, aut si *appetere* idem valet, quod in locutionibus nox, tempus comitiorum, hiems appetit, vel apud Liv. V. 19.: Veios fata appetebant; welchem sich Schnee und Sturmwetter in soweit annäherten: aber das Meer: igitur auctore Rothio si ita interpretatus fueris: Schnee und Wintersturm fielen die Insel oder näherten sich der Insel an in soweit, dass man sie eben nur sehen konnte: quae erit sententia? Equidem cum voces *quam — appetebant* excipiantur particula *sed*, negativam particulam excidisse suspicor. In eo autem omnes consentiunt, postremis verbis *sed — attolli* indicari causam, cur Romani non propius insulam advecti sint. Aut igitur maius ulcus hic insedit, ut signa lacunae post verba *quam hactenus* ponenda sint: aut scribendum fortasse: Dispecta est et Thule: neque eatenus nix et hiems appetebat: sed mare — perhibent: Geschaut nur eben wurde auch Thule: es entgegnete jedoch nicht bis auf diesen Punkt hin (unde dispici posset) Schnee und Wintersturm, aber das Meer, träge und schwer von den Ruderern zu bewältigen, versichern sie würde nicht einmal von den Winden in gleichem Grade gehoben. Aliquando etiam in mentem venerat: quamquam hactenus non nix . . . . . . appetebat: *quam* et *quamquam* saepissime a librariis permutata esse, constat. *n* ante *nix* facile potuit excidere: particula *quamquam* (conf. de indicativo XII. Ann. 1. H. I. 96. vid. Bött. Lex. p. 111.) apta est ex sententia, quae latet in verbo *dispecta*.

**Et iugis etiam atque montibus inseri velut in sua.** — Varie tentata sunt verba *velut in suo:* at iure Walchius omnes coniecturas ab hoc loco defendit. Idem haec verba interpretatus est: veluti iugis et montibus in suo. Intelligi enim montes, quos Ammianus a primigenia rerum natura sub immensis gurgitibus amandatos testatus sit. Verum his quidem iugis ac montibus non inseritur mare, sed superfunditur, ut fluctibus eos fere obruat. Cum iis, quae Plin. II. H. N. cp. 99. de Oceani natura tradidit, Tacitus consentit: non enim litore tenus accrescere aut resorberi ait, sed influere penitus (tief landeinwärts) et ambire (nach allen Seiten hin sich ausbreiten, uti *circuire* saepe valet überall umhergehen) et inseri (begebe sich hinein, dränge sich ein) montibus etiam ac iugis, quae quasi termini sunt ac munimenta terrae continentis adversus maris impetum. Itaque verbis superioribus *influere — ambire* declaratur, quam longe lateque aestus maris patuerit, posterioribus autem *iugis — inseri* altitudo aestus indicatur. Similis litorum facies mari exundante describitur Ann. I. 70. Curt. IX. 9. 36. Itaque sententia est: Mare in eas insulae oras imperium ita exercet, ut terra aestu maris affluente naturam suam exuere et pars maris esse videatur. Sicuti vero Ann. I. 41.: non florentis Caesaris neque suis in castris, sed velut in urbe victa facies (ubi vid. annot. Fr. A. Wolfii), sic hoc loco particip. verbi substantivi addi debet (ganz wie auf seinem Besitzthume seiend, i. e. ganz als wäre es auf s. Bes.).

## Cp. 12.

**Rarus duabus *tribusque* civitatibus — conventus.** Pro *que* Pichena reposuit *ve:* quam emendationem recentiores huius libri editores spreverunt: iniuria. Nam particulae *que, et* his numeris adiectae augent: uti in illo Sophocleo δὶς καὶ τρὶς (zwei, ja dreimal auch), vel apud Virgilium: o terque quaterque beati, vel apud Horatium: felices ter et amplius; *duae tresve* contra (vid. Bentl. ad Horat. Epod. V. 33.) detrahit potius et imminuit. Quodsi igitur hoc loco legatur: *rarus duabus tribusque civitatibus conventus;* insulsum erit, praesertim cum vox *rarus* ipsa reluctetur: selten ist zwei, ja auch drei Staaten eine Zusammenkunft: si scriptum esset *frequens* conventus, tota huius loci ratio mutaretur: häufig ist zwei, ja auch drei Staaten: in his certe nihil est, quod offendat: at Taciti sententia requirit: selten kommen zwei, höchstens drei Staaten zusammen. Simili modo *unus alterque* et *unus alterve* inter se differunt. Recte igitur Heusinger Corn. Nep. v. Att. cp. 18. contra Bosium statuit legendum: quaternis quinisve versibus. Omnino pro particula disiunctiva adiunctivam vel copulativam certe non licet ponere, nisi, id quod raro fit, talis est nominum duorum aut verborum aut etiam duarum sententiarum ratio, ut nihil fere intersit, num coniunctim mente comprehendantur an seiungantur ac dividantur; velut Liv. III. 55. (vid. Walch. emend. Liv. p. 53.) si scriptum esset, *supprimebantur vitiabanturve,* non emendatius id quidem foret, sed distinctius locutus esset Livius. Ferri tamen potest *vitiabanturque:* quia utrumque *et supprimi* et *vitiari* voci *senatusconsulta* communiter adiunxit: separare ea, quae promiscue essent proposita, ac distribuere, iudicio legentium permisit. Huic loco commode conferri potest Tac. Hist. III. 56.: acerrimum militem et usque in extrema obstinatum *trucidandum capiendumque* tradidit: prius minus indecorum militi, quam alterum; verte: er lieferte sie aus, dass sie hingeschlachtet, ja gefangen würden: utrumque enim illis militibus accidit communiter; sed alii trucidati, alii capti sunt: contra Ann. XIII. 54. captis caesisve, (oder aber, oder auch getödtet), qui pervicacius restiterant. Hor. I. Ep. 6. 53.: cuilibet is fasces dabit eripietque curule, cui volet importunus ebur: *dare et eripere* penes eundem; at cum poeta verbis *cui libet cui volet* ipse disstinxerit, apparet, cur non potuerit scribere *eripietve:* quod si semel tantummodo scriptum esset, *cui libet,* scribi *eripietve* posset. Eadem de causa Tacit. I. Hist. 62. quia imperator spem simul ac metum adiicit, cum Tacitus scripsisset *strenuis vel ignavis* (i. e. prout quisque strenuus esset aut ignavus), pro disiunctiva ei licuit uti adiunctiva: spem metumque. Itemque Liv. XXVII. cp. 45. cum parva momenta animos in utramque partem impellant, si scriptor ipse distinxisset, scripsisset spem metumve. Eadem ratione expediendus locus, quem Walchius ex Xenoph. Anab. IV. 8. 21 attulit. Cic. Orat. 40. 138.: hilaritatem risumve: scribi poterat etiam *risumque:* velut patrio sermone loqui licet; et zur Heiterkeit, ja auch zum Lachen et zur Heiterkeit oder auch zum Lachen; Cic. de senect. cp. 16. vinearum olivetorumve: ferri etiam potest *olivetorumque:* etenim vis adiunctionis non modo in iis cernitur, quae natura et necessitate quadam inter se connexa sunt, sed saepe ad solam mentem refertur. (conf. Henr. Voss. ad Virg. Georg. I. 442. Jahn ad Horat. Serm. II. 3. 157.). Mentione enim vinearum facta animus oliveta communione ge-

neris una comprehendit. At absurdum foret, Horat. IV. Carm. 4. 13. *qualemque* scribere, aut Tacit. Germ. 45. *resinamque:* contra, uti apud Liv. XXXVII. 53. (praemio atque honore), sic apud Cic. de fin. II. 14. 45. (ubi vid. Goerenz.) vulgata servari potest: sed Mscr. scriptura non est cur suo loco cedat. *Ve* igitur scribendum, cum duo composita sunt, quae mente nisi separatim percipi nequeant: est autem *ve* oder aber, oder auch: nec unquam pro *ve* poni *que* potest, nisi si ea, quibuscum res aliqua hoc modo per particulam adiunctivam vel copulativam nexa est, a scriptore communiter sint proposita. Explicanda tum erit particula *que* und auch, ja auch, ja gar. Quod cum ita sit, iam apparet, quamobrem similes notiones per *ve* iungi possint, pares non possint (conf. Goerenz. ad Cic. de legg. I. 18. 40.). Veteres ipsi pro disiunctiva particula nunquam adiunctiva vel copulativa utuntur, quin ratio ipsa id postulet. At hodieque in explananda particularum significatione arguta quaedam subtilitas ostentatur, quae nescio an doctrinam de particulis non turbet potius, quam constituat; velut si qui dicant, *què* habere interdum vim disiunctivam vel etiam adversativam. At quae huiusmodi exempla ex veteribus proferuntur, satis ostendunt, hanc opinionem ad nostram loquendi consuetudinem recidere: particulas autem ubique vim propriam ac suam conservare, velut de legg. III. 17.: mihi vero nihil unquam populare placuit, eamque optimam rem publicam esse dico, quae sit in potestate optimorum. Nimirum tota sententia, quae praecedenti adiuncta est, ex ea consequitur; nam cui nihil populare placuerit, ei necesse est etiam displicere imperium populare: ergo placere rem publicam, quae penes paucos sit. Adversativae particulae ea vis foret, qua intelligeretur, sequentia aut prorsus aut aliqua ex parte praecedentibus opposita esse, non, haec ipsa arctius inter se contineri. Eadem de causa Tusc. V. 28. 81.: *secumque rapient* scriptum est, non *sed secum rapient.* Omnino nusquam particula *que* vim adversativam habet: quam ubi videtur praesertim nostro loquendi more assumere, ea est sententiarum ratio, qua alteri sententiae altera non opponatur, sed explicandi potius declarandique causa subiungatur: quibus locis vim particulae reddere licet: » und demnach, und sonach « velut Tusc. I. 2. 4. *iacentque ea semper.* Tusc. III. 3. 5. *omnibusque,* de offic. I. 28. *totamque.* Sed haec in transitu adtigi. Codicum auctoritas cum sexcenties *ve* et *que* a scribis confusa sint (vid. Drakenb. ad Liv. XXIV. 10. 2.), non negligenda est in hoc genere, nec tamen tanti ducenda, ut ratio atque iudicium ei postponantur.

## Cp. 15.

Alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere. Haec est Vatic. 3429. scriptura, quam Rothius ac Walther restituerunt: priores editores pars *manus,* alii *servos* in exsilium miserant. At Rothius interpretando, *alterius* manus esse centuriones, nervos sententiae fregit: rectius Walther, secutus fortasse, quem h. l. laudat, Sellingium, cuius observationes inspiciendi copiam non nactus sum, interpretatur: alterius manus, centuriones; alterius (sc. manus), servos vim et ini. miscere. (des einen Helfershelfer die Centurionen, des anderen, die ihm zugehörigen Sklaven, übten mit- und durcheinander gewaltsame und schmähliche Dinge) Sen. Med. 455.: per quas revexi nobiles regum manus. Hippol. 725. fida famulorum manus. conf: Gron. ad Stat. silv. IV. 3. p. 412. (ed. Hand.). *Manus* igitur quominus et legatorum milites et servi procuratorum vocentur, nihil impedit. — divus Julius. Haud imperite Tacitus ab ipsis barbaris Jul. Caesarem divum appellari facit. Nam cum divus Julius et ipse recessisset, quo magis sperari poterat, ceteros, qui ad huius palmam non adspirarent, recessuros. Ac plerumque homines, ut, quos cummaxime timeant, de eorum fama detrahant, largiri aliquid solent vel iis, qui olim non minus invisi fuerant, sed nocere ipsis aut metui desierunt. Ann. I. 70. Arminius memorat, irritos discessisse illum inter numina dicatum Augustum, illum delectum Tiberium. XII. 34. Caractacus *dictatorem* ait Caesarem pulsum. conf. Hist. IV. 17.

## Cp. 16.

Tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat. Hic cum egregius cetera — consuleret, *missus* Petr. — Ita pleraeque editiones: at Mscr. *nequaquam,* supra scripto *neque,* — *missus igitur.* Tacitus ipse Ann. XIV. 38. narrat, Jul. Classicianum successorem Cato missum et Suetonio discordem bonum publicum privatis simultatibus impedisse dispersisseque, opperiendum esse novum legatum, sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum. Hoc Taciti testimonio et illa codicis scrip-

tura motus est L. Walchius, ut legendum censeret; timor agitabat, *ne, quamquam egr. cet. — durius consuleret.* Praeter verba *quamquam egreg.*, quae Tacitus ad levandam huius criminis infamiam adiecisset, cetera non ex scriptoris, sed Britannorum mente ait dicta esse. Walchio suffragati sunt Walther et Rothius. Mihi id quidem persuasum est, vulgatam scripturam non pro germana habendam. Ex verbis *missus igitur* intelligitur, falsas Classiciani de Suetonio criminationes ad aures principis delatas idque in urbe provisum esse, ut alius legatus mitteretur, non quod Britanni timerent, ne Suetonius durius in ipsos consuleret, sed quia timor ex legato Britannos agitans obstare videbatur, quominus plerique arma deponerent. Verba *ex legato* timor nihil habent offensionis (conf. III. Ann. 40. Walther. ad I. Ann. cp. 29.): id tamen animadverti oportet, non *metus* hoc loco scriptum esse, sed *timor*; qui caeca animi affectione atque opinione potissimum nascitur (vid. Doederl. Synonym. Tom. II. p. 191.). *Propius* autem Walchius interpretatur: *magis ex propinquo* timor: » Furcht vor dem Legaten aus der Nähe. Bötticher paullo aliter » und die Furcht vor der unmittelbaren Nähe des Legaten. Constat, *propior* valere näher, näher liegend vel stehend « deinde usurpari vi translata. Ubi transfertur, potest sane eius significatio varie inflecti et exprimi. Nam propius est aliquid aut genere et sanguine, aut similitudine ac forma, aut dignitate aut pondere suo ac momento. Praeterea, quo propior res aliqua est, eo magis eadem est in promtu seu expedita, ita ut eam quoque significationem vox *propius* assumat. Quemadmodum vero quoque loco sit interpretanda, aut aliis verbis ei adiunctis cognoscitur aut iudicio atque ratione decernitur: a propria autem significatione nunquam tantum discedit, ut haec ipsa non omnibus locis agnoscatur; velut Ovid. Metam. XIII. 578. cura propior i. e. quae quasi propius est ab animo collocata: simili modo nostrates, diese Sorge liegt mir näher; atque hoc quidem nomine comparari potest cum voce *praesens* (Ovid. Met. XIII. 756. Th. Schmid ad Horat. Ep. I. 1. 69.); Sil. Ital. I. 32. *propius metuens*: oratione enim poeticis coloribus nudata sententia erit: quo longius Romani fines imperii proferebant, eo magis Carthaginienses ab iis metuere coeperunt: quod Carthaginiensium erat, poeta tribuit Junoni. Claud. XIX. 106.: propius, quam si genuisset, amavit. Denique non dubium est, quin *propius* saepe valeat *ex propinquo.* Ann. VI. 26. Senec. Phoeniss. 498. Iungi autem *propius* hoc loco potest aut cum verbis *ex legato timor*, aut cum verbo finito *agitabat*: restat, ut per se ipsum accipiatur, uti cp. 5. (licenter et segniter), Ann. IV. 47. (conf. Roth. Exc. XXIV.) Quod si *propius* cum verbis *ex legato timor* iungatur, cum adverbium nisi intellecto verbi alicuius participio explanari nequeat, hanc autem vim adiectivum *propior* habeat (conf. VI. Ann. 36.), mirari licet, Tacitum adverbio, quam adiectivo uti maluisse; sin cum verbo finito *agitabat*, non erit, quod displiceat, modo *propius* figurate dictum esse intelligamus: nam quod e propinquiori loco agitat, id magis etiam instat, urget, commovet. Jllud autem perspicuum est, duo memorari, quibus Britanni agitati arma non deposuerint: conscientiam nimirum defectionis et, qui apud barbaros ac rudes homines plus, quam conscientia facinoris valet, timorem. Itaque *propius* cum dicit, ingenium ac mores barbarorum spectat. Adverbio autem usus est, quia copiam illud facit intelligendi, hunc timorem non tam in ipsis Britannorum animis subortum, quam extrinsecus iis iniectum esse: quo fortasse artes procuratoris quamvis tecte notantur. Totum locum hoc modo interpretor:

Die Waffen legten jedoch gar viele nicht nieder, die das Bewusstsein ihres Abfalles und auf eine ihnen noch näher liegende Weise die Furcht vor des Legaten Persönlichkeit beunruhigte, es möchte der wenn auch sonst nicht gewöhnliche Mann, hätten sie sich ihm einmal auf Gnade und Ungnade ergeben, überspannte Anforderungen machen und als Rächer einer auch ihn selbst verletzenden That härter gegen sie verfahren. In Folge dieser Verhältnisse nun wurde Petr. u. s. w.

Trebellius — precario mox praefuit, ac velut pacti exercitus licentiam, dux salutem, haec seditio sine sanguine stetit.

Verba *seditio stetit* me non morantur: nihil est enim frequentius locutione *seditio mota est.* Paullo infra cp. 25. legimus: impellebatur bellum. His contraria sunt *stare, consistere,* Virgil. Eclog. 2. 26. cum placidum ventis staret mare. Flor. IV. 12. 39. Imperium — stat in ripa Rheni. Liv. XXI. 49. ad Trebiam terrestre constitisset bellum. Tacit. Hist. IV. 67. belli impetus stetit. conf. ib. 45. finem iniuriae hic stetisse. XII. Ann. 22. unde vis Agrippinae citra ultima stetit. Haec igitur verba expedita sunt: at nisi maius distinguendi signum post v. salutem ponatur, orationis constructio admodum dura et aspera est. De verbis *velut*

*pacti* alii aliter: Brotierus, Walchius, Rothius intelligi volunt *sunt:* quibus facilius consentiam, quam iis, qui *essent* omissum putent. Pro *haec* H. Becker et L. Rothius ex Vatic. 3429. *et* reposuerunt: At vereor, ne hoc ipsum *et* sit emendatione natum: praeterea illud nescio quomodo hac quidem orationis structura vehementer displicet. Saepissime *haec* et *huic, huic* et *hinc* permutata sunt: sed *hinc — stetit* parum mihi probatur. Illud autem semper equidem suspicatus sum, sequenti *seditio* et compendio scripturae factum esse, ut locus depravaretur. Finge animo scriptum fuisse: *hac c̄dicīō sedicio:* i. e. hac condicione seditio s. s. stetit.

## Cp. 17.

Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Julius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Sil. g. armis subegit. Ernestus pro *alterius* scriptum voluit *cuiusvis* vel *cuiusque alterius.* Dronkius id ipsum significari dixit voce *alterius:* alterum enim successorem et proximum esse et omnes deinceps. Utriusque opinionem refellens L. Walchius *alterius* comparat graecis ἕτερός τις et ἄλλος, totumque locum in commentariis hoc modo interpretatur: wiewohl Cerealis auch eines andern d. h. grösseren Nachfolgers Ruhm hätte verdunkeln können. His addit, in efferendo Petilio Tacitum sibi temperasse, ne Frontinum etiam tunc superstitem laederet. Sed haec ego non extricem. Nam si successor talis futurus erat, qui magis, quam Cerialis, excelleret, non potuit fama et cura per Cerialem obrui: sin Tacitus intelligi vult meliorem, quam Frontinum; male consulit huius existimationi. Equidem consentio Walthero, qui explicat: *deterioris,* quam Frontinus erat. (vid. eius annot. ad h. l.). Quod docent, *alter* saepe sonare *quivis alius* (conf. etiam Oudendorp. ad Apul. Metam. *l.* III. p. 177. Heyn. ad Tibull. IV. 1. 18.): est ita sane, modo ne ignoremus, ne tum quidem *alter* propriam vim suam amittere: seligitur enim ex numero infinito unum aliquid, quod quoniam ordine proximum est ab eo, cuius iam mentio facta est, iure *alterum* vocatur, velut nostrates usurpant »ein Zweiter.« Valet igitur *alterius* succ.: des unmittelbaren Nachfolgers. Nimirum quo erat rerum a Petilio gestarum memoria recentior, eo erat difficilius, laudem illius non modo superare, sed aequare. *quoque* Walchius interpretatus est: die Last hielt auch J. Fr.; ad nomen J. Frontini retorsisse eum *quoque* equidem non putaverim; id enim hyperbaton ferri non posset; quamobrem Hist. II. 23. recte nunc repositum existimo *eos quoque Otho:* sed fracta huius particulae vi sententiam quoque vir doctissimus debilitavit. Bötticher Walchii vestigia legit; Strombeckius, Woltmannus, alii peius etiam. At *quoque* valet sogar; in qua re L. Rothium, cuius editio, cum haec iam scripta erant, ad me allata est, consentire mecum cognovi: conf. Hist. III. 55. 56. Ann. VI. 6. XV. 58. alibi. Nep. Att. cp. 6. Plin. Hist. Nat. VIII. 21.: paullo ante enim (cp. 7. p. 338. ed. Franz.) de elephantorum clementia narravit; Quint. X. 1. 125; Ovid. Met. VI. 27. Ut igitur his locis a minori ad maius aliquid oratio procedit, ita hoc loco intelliges: non modo non obrutus est, sed sustinuit etiam molem. Multo cum delectu *sustinuit* dictum est, antecedente *obruisset.* Sicuti vero ad significandam molem aptissimum verbum *obruere,* sic *sustinere* egregie depingit virium contentionem, qua Frontinus difficultatem negotii eluctatus sit. Atque maximo opere, quae Cerialis receperat, is tutatus; quae ille coeptaverat, persecutus est atque validam Silurum gentem subigendo etiam adauxit. Verba denique *quantum licebat,* non ad laudes Cerialis neque ad tempus, quo Frontinus Britanniae praeerat, traxerim, sed iniquitatem temporum illorum, qua insignis quaeque virtus compressa est, his verbis perstringi existimo (vid. Poleni vita Front. §. 17.). Jam totum locum transferam:

Schrecken brachte sogleich über sie Petilius Cerialis durch seinen Angriff auf den Staat der Briganter, welcher als der volkreichste der ganzen Provinz angegeben wird — viele Schlachten und mitunter nicht unblutige, und sofort umfieng er einen grossen Theil des Briganter-Landes in Sieg oder Angriff — und wenn auch ein Cerialis auf des unmittelbaren Nachfolgers Bestrebungen und Ruf mit erdrückender Schwere lasten musste, so lösete doch glücklich sogar die grossartige Aufgabe Jul. Frontinus, ein, soweit es gestattet war, ausgezeichneter Mann, und unterwarf das mächtige und streitbare Volk der Sil. mit Waffengewalt u. s. w. — In sequentibus Dronkius, H. Becker, Rothius, Walther *locorumque* receperunt: ceteri, quod ego sciam, omnes *locorum quoque.* Et Rothius Excurs. XXVIII. Walth. ad Ann. I. 28. multis exemplis comprobare student, *que* significare etiam *quoque.* Mihi persuasum est, particulae *que* ubique unam eandemque significationem esse, sed varie eam colorari, si, quemadmodum sententiae inter se cohaereant, ratione ac iudicio

indagemus. Tum enim quoniam lingua vernacula, ut supra dixi, a consuetudine sermonis latini multum discrepat; ad illustrandam sententiarum cohaerentiam vim huius particulae varie exprimimus. Verum quis erit, qui neget, id ipsum et natura sententiarum et orationis constructione, denique ratione decerni? Haud dubie particula *que* res aut naturali quadam necessitate vinctae, aut fortuito quodam concursu consociatae, aut denique cogitatione ac mente comprehensae copulantur. Quoniam vero quicquid hoc modo cum altera re copulatur, huic adiungitur seu accedit, particulam *que* sane ad significationem a u c h redigere licet: sed id ipsum prorsus differt a *quoque,* nec unquam ita explicari *que* aut solet aut potest, nisi totae sententiae per *que* nexae sunt. Quae exempla virorum doctorum diligentia congessit, ea me non adducunt, ut sententiam meam mutem: nam partim illi loci aliter interpretandi sunt, partim, si varietatem scripturae oculis perlustraveris (conf. H. III. 48.), auctoritas librorum quam dubia sit atque incerta, facile intelliges. Veruntamen quid fiet *hodieque?* Dicam, quid sentiam. Sunt sane in quaque lingua singularia quaedam, quorum ratio obscurior sit: in hoc genere numero istud *hodieque,* quod brevitate loquendi ortum: ut exemplo utar.: Vellei. I. 4. 2.: vires autem veteres earum urbium hodieque magnitudo ostentat moenium; i. e. vir. aut. vet. e. u. magn. moen. et olim ostentabat, hodieque ostentat: atque ita omnibus locis *olim* suppressum est; paullatim, ut multa, *hodieque* usu frequentatum, quin quisquam rem sagacius rimatus sit. Juvat unum de locis, quos Rothius laudavit, memorare. Est ille apud Propertium III. 1. 35. Describam: *Nec non* ille tui casus memorator Homerus Posteritate suum crescere sentit opus: *Meque* inter seros laudabit Roma nepotes. En, inquit Rothius, hac sententiarum serie *que* nihil potest aliud sonare, nisi *quoque.* Non moveor. Sententia est: res carminibus nobilitantur: poetae ipsi, ut cum Horatio loquar, postera laude crescunt: id, inquit Propertius, et Homero contigit et mihi continget. Sed longum est, de his rebus disputare: sunt etiam, quibus *in praesentiarum* mirifice placeat. nihil dicam contra: qui istis elegantiis oblectetur, sibi habeto.

## *Cp. 18.*

Velut omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem uterentur. Sic Mscr. Vat. 3429.: quam scripturam cupidius paullo arripuerunt Rothius et Walther; et hic quidem minus considerate comparari iubet Ann. XVI. 27., qui locus huic dissimillimus est. Equidem H. Beckero, Walchio, Hertelio consentio; nec video, quid sit, cur Dronkius dicat *verterentur* et propter structuram et propter vim nominis *occasio* durius esse. Just. XXIV. 6. 4.: animum ad deorum immortalium templum convertit sc. spoliandum; Sil. Ital. XVI. 220.: Haud deformis erit vobis ad foedera versis pacator mediusque Syphax. Simili modo hic dictum est: *ad* securitatem, ad occasionem *verti,* seu, quod idem est, *animos vertere,* ut intelligamus, milites animo praecepisse spem securitatis, hostes spem, tempus adfore, aliquid prospere gerendi. Nam quod Rothius dicit *velut omissa* expeditione esse *expeditione velut omissa,* id quemadmodum accipi velit, non perspicio, » von einem Feldzuge, als wäre er aufgegeben, zur Sicherheit Gebrauch machen « haec, ut dixi, non capio. Nec minus miror, Rothium, suffragatum Broterio, Beckero, Hertelio, retinuisse *digredi.* Confusa sane sunt *degredi* ac *digredi* sexcenties, sed a librariis, non a scriptoribus ipsis (conf. IV. Ann. 49. infr. 37.). — *ac prout prima cessissent, fore universa.* Ita in plerisque editionibus: in Vat. autem 3429. Broterius testatur legi: ac pr. pr. cess., terrorem ceteris fore; Dronkius vero enotat: ac pr. pr. cess., terr. cet. *fore universa.* Praeter vocem *universa,* quae male repetita est ex proxime antecedentibus, libri Vaticani scripturam servandam censeo. Confer. Sall. fragm. p. 285.: pugnam illam pro omine belli futuram. Tacit. Hist. II. 21.: gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore; Annal. XII. 31. ille gnarus, primis eventibus metum aut fiduciam gigni; *cessisse* h. l. valet *successisse, prospere evenisse.* Itaque sententia haec est: in dem Verhältnisse, als die ersten Unternehmungen glücklichen Erfolg haben würden, würde der schreckhafte Eindruck auch für das übrige sein. Liv. XXXVIII. 26.: quia etsi non ipsi victi erant, suae gentis hominum cladem pro sua ducebant. — *cuius possessione revocatum Paullinum rebellione totius provinciae.* Bipontini *a* de suo adiicientes ediderunt *a. cui. poss.* Ridet interpres doctissimus hanc diligentiam: vexant eam alii quoque: mihi ut non probatur haec emendatio, ita minime ridetur. Etenim verba cum *re* composita, ut recedere, se recipere, reducere, relabi, remeare, retrahere, retorquere, removere, repellere, retardare, alia eiusmodi, construuntur cum praepositione, ac pleraque quidem cum praepositione *a;* nonnulla, si res ita fert aut ratio postulat, cum *ex,* aut, ut revello, reporto et saepe

etiam recedo cum *de.* Atque ex his verbis vel ea, quorum significatione fieri possit, ut praepositio omittatur, velut *repellere*, raro, praesertim in prosa oratione, eam abiiciunt. Quae nudum ablativum asciscunt, sed ita, ut saepius tamen cum praepositione construantur, haec fere reperi: *recedere* (Plaut. Merc. I. 126. Ovid. Metam. IX. 700.) *removere* (Ovid. Met. III. 645. Vellei. II. 32. 5. vid. ibi Ruhnken.) *revellere* (Ovid. Met. II. 306. XI. 554., at apud Appul. *l.* III. init. praestat legere *securae quieti*): verum et *cedere* et *movere* ablativum omissa praepositione asciscunt: itemque *vellere* apud poetas quidem. Luc. I. 600. ablativus pendet a verbo *lotam.* Tacit. Ann. II. 69.: *remeare Aegypto* (conf. I. 3. Hist. V. 23. Gallia adventantes. IV. Hist. 15. Oceano irrumpit, quod dictum est, ut paullo ante cp. 12. *mari.* Caes. bell. civ. III. 29. oppido fugit. Liv. XIV. 13. ibique J. Fr. Gronov.). Horat. I. 2. 14. *retortis litore Etrusco violenter undis:* sed haec nemo facile erit qui in hoc numero ponat. Quae denique Walchius exempla attulit, eorum duobus — *exigunt liberalitate* et *gliscente adulatione deterrerentur* — eius sententia non magis comprobatur, quam Silii loco IV. 15. (vid. Bentl. ad Hor. I. 35. 38.): toto enim coelo differunt: tertium aptius est, sumtum ex Virgilio. Quamquam cum toties poetae verba *seiungere, distare,* alia eiusmodi cum dativo construant, — satis erit, cum res sit notissima: vid. Jan. Gramm. poet. p. 125: ex uno Horatio laudasse, Carm. I. 1. 32. IV. 9. 29. III. 8. 10. I. Serm. 6. 63. 4. 47.; quod igitur cum facere soleant poetae, non ineptum erit, opinari, *acié* dictum pro aciei (quasi: dem Kampfe entrufen.). Nec tamen aut apud Virgilium *acie* dativum esse arbitror aut apud Tacitum scribendum *a cuius* poss.: fastidiunt potius nescio quomodo aures additam praepositionem: sed rationem requiro: nec deest. Utroque enim in loco *revocare* non propriam suam vim tenet, sed valet *prohibere, coërcere* (conf. Caes. de bell. civil. II. 38. ibique annot. Herzogii, viri doctissimi): ob eamque rem Tacitum puto verbum *revocare* ad illorum verborum similitudinem construxisse, velut Ann. I. 39. impedire. Simili modo Cic.: pro Rosc. Amerin. 52., 151. *Dii prohibeant, ut:* non est, ut nonnulli volunt, omissum *fieri;* sed in ipso verbo *prohibeant* vis est: ne sinant fieri: quam cum Cicero teneret, subiunxit *ut.* Eodem ex fonte apud Graecos construendae orationis modi saepe mirifici fluxerunt. conf. Herm. ad Soph. Electr. 123. et Matth. Gr. Gr. 421. annot. 4. — *qui classem, qui naves, qui mare exspectabant.* Exspectare verbum medium esse, Kortius (ad Ep. Cic. ad fam. XV. 21. 9.) aliique monuerunt: imprimis autem de huius verbi significatione accurate egit Herzog. ad Caes. b. g. III. 24. Haud dubie significat *exspectare* cum metu aut spe aut desiderio mentem aut oculos in aliquid intendere. Itaque *mare exspectare* dictum est, quia non alia via, nisi mari, Romanos venturos sciebant: in id igitur cum suspenso animo oculos verterunt. Nec transiri mare nisi classe aut saltem navibus posse speraverant: quapropter haec tria, classem, naves, mare, uni verbo adiunxit. Verte: die Feinde, welche immerdar den erwartungsvollen Blick auf Flotte, Schiffe, Meer hinrichteten. Conferri sane possunt, quae supra cp. 15. leguntur: flumine, non Oceano defendi: nec tamen propterea *mare* interpretari licet, Meereswiderstand, quae significatio huic vocabulo nec est nec potest esse. Rothius reddit tria illa nomina » Bewegung des ganzen Meeres «, in quo ei non assentior: id potius Tacitus intelligi voluit: classe (auf einer Flotte) aut aliquot navibus (oder doch wenigstens auf einzelnen Fahrzeugen), denique per mare (kurz über's Meer) hostibus in insulam traiiciendum esse. Eodem modo *mare, classes* iuncta legimus Hist. III. 1.

## *Cp. 15.*

A se suisque orsus primam domum suam coercuit, quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere. Nihil per libertos servosque publicae rei — non accire cet.

*Agere* ante *nihil* ab Oberlino inculcatum Walchius iure eiecit. At quamquam constat, verba *agere, facere, dicere* saepissime a scriptoribus omissa esse, tamen, quae hoc loco est sententiarum iunctura, nemo facile erit, quin duriorem hanc ellipsin esse sentiat. Sed cum multa de ellipsis natura atque usu disputata sint, obiter de eadem re mihi liceat disserere, ut meam de hoc Taciti loco sententiam confirmem. Ellipsis autem quae vocatur, olim errore eorum, qui omnia linguae vernaculae usu examinarent, ita pullulaverat, ut circumcidenda et amputanda videretur. Nulla igitur ellipsis est, ubi id, quod ex nostri sermonis usu requiri videatur, ex latini sermonis consuetudine non requiritur, velut *dicunt, ferunt,* boni civis est, alia huiusmodi: neque, ut recte Hermannus, vir summus, Opusc. Tom. I. p. 151. praecipit, iure ellipsis vocatur, cum ea, quae omissa sunt vocabula, ex antecedentibus vel subsequentibus repeti possunt, velut Tacit. Ann. IV. 29. *nihil*

*hunc amicitia Seiani, sed labefecit.* III. 3., ubi sequente *viderentur* ad verba *ut par moeror* repetes *videretur.* Dial. de oratt. 21., antecedente *oratiuncula* habes, unde genitivus Calvi pendeat. Est autem omnino nulla ellipsis, quin id, quod omissum est, ex iis, quae dicta sunt, aliqua saltem ex parte cognoscatur. Nam quae est cuiusque orationis praecipua virtus, perspicuitas, eadem in omni genere ellipsis summa lex et est et habetur. Itaque si quis dixerit, *at melius atque amantius ille* vel *iam agmina ac fulgor armorum* et sentimus omissum aliquid esse et ex iis, quae dicta sunt, sponte coniicimus id, quod praetermissum est. Totum autem hoc genus, a natura, non ab arte profectum, sermonis est proprium: postmodum ad orationem traductum et in artificiis numeratum est. Etenim cum animus ira, amore, laetitia, metu, aliis affectibus vehementius commovetur, sermo vigere magis et quasi incalescere coepit. Tum vero quoniam mentis agitatae celeritas verbis impeditur, rescindi omnia solent verba, quae ad intelligendos sensus nostros non necessaria videantur esse. At vero etiam cum animo tranquillo et de rebus levioribus et cum amicis ac familiaribus loquimur, saepe negligentiae cuidam in loquendo haud ingratae indulgemus, quae quia inutilis verbositatis taedium devitat, commendationem etiam habet elegantiae. Quanto igitur dictio aliqua scriptiove propior est sermoni, tanto est in ea ellipsis quae proprie vocatur, frequentior, ut in dialogis, in epistolis. Oratorium dicendi genus hac figura etiam liberius utitur propterea, quia vox, vultus, gestus quasi verborum vice funguntur. Historia sermonem inter et orationem media ut non abstinet grammatico ellipsis genere, ita multo magis oratorio gaudet. Triplex enim genus ellipsis esse constat: primum est grammaticum, alterum oratorium, tertium denique dialecticum seu logicum. Grammaticum versatur in certis et ut ita dicam statis locutionibus, unde venit, ut vix uno alterove verbo audito iam quae sit sententia, intelligamus. Huiusmodi sunt: *quid multa, quid ergo, nec frustra, quid ad rem, nihil aliud, quam....; atque ille id melius, praeclare ille quidem,* alia, quae ex ipso sermone plebeio sumta videntur, ut Seleucus Antiochi, Apicata Seiani (conf. Sanct. Minerv. *l.* IV. praesert. cp. 5. Scheller praec. stil. Tom. I. p. 483. sqq. Walch. in comm. ad h. l. Zumpt. Gr. §. 781. Böttich. Lex. Tac. Proleg. p. 82. sqq. Roth. Excurs. IX. et XXVII.). Huiusmodi etiam est Livii illud XXIX. cp. 34.: nam locutio *aestiva agere* frequentior est: conf. Gronov. ad h. l.

Alterum genus est oratorium, in quo ellipses reperiuntur paullo audaciores, quia verborum partes, ut dixi, vox, gestus atque vultus sustinent, velut Cic. Verr. Act, II. 5. 24.: hunccine hominem, cet. Huic generi similis est nec tamen confundenda cum eo reticentia sive aposiopesis, quae hoc differt, quod non tam verbis, quam gestibus ac vultu, quid sit intelligendum, aperitur. Hoc igitur ellipsis genere, quoniam magna eius vis est in commovendum animum, rerum narratio, incomta illa quidem ac subtilis, non utitur; simulatque vero magnitudine rerum inflatur atque insurgit, hoc artificium et ipsa affectat nec amplius proprio suo munere contenta res gestas ita describit, ut conspicere omnia audireve nobis videamur. Tacitus, quod erat eius ingenium scribendique genus (vid. Suvern. » über den Kunstcharacter des Tac. « in commentt. hist.-phil. Acad. Berolin. 1822.) hac figura frequenter usus est: ubique partes verborum omissorum explet vocis scite ac prudenter distincta varietas, velut I. Annal. 22. 25. III. 4. sed vid. omnino Bötticher l. l. Dialecticum denique ellipsis genus differt a grammatico, quod non modo singula vocabula omittuntur, sed etiam totum aliquod enunciatum praetermittitur; quicquid autem hoc modo omissum est, non, ut in illo genere, ex locutionis colore, sed ex toto sententiarum contextu agnosci potest, ita ut hoc ellipsis genus totum in ratione ac iudicio sit positum. Huius generis est ille Ciceronis locus, quem Walchius dicit Taciti loco simillimum esse: mihi contra multum ab eo videtur differre: nam antecedenti verbo *mutata* i. e. secus facta, mens ad verbum omissum ultro defertur. Cic. Phil. I. 2. adverbium *communiter* satis indicat, verbum desiderari: quodnam istud sit, intelligitur ex antecedentibus; quoniam toto illo loco Cicero narrat, quae acta sint a consulibus. In dialectico ellipsis genere illos quoque locos numero, ubi *magis* seu *potius* omissum volunt; velut Ann. III. 17. 32. Ann. XI. 25. V. 7. Liv. XXXIV. 21. ibiq. Gron. Comparationis vis agnoscitur ex particula *quam* (conf. Herm. op. Tom. I. p. 211.); sed sententia qualis sit, ratione expediendum. Multum enim interest, utrum dicas *miseratio magis, quam invidia,* an *miseratio, quam invidia* (conf. Walther ad Tac. Ann. III. cp. 17.). Animadvertisse autem mihi videor, veteres nunquam ita locutos, nisi duae res essent compositae, quae opinionum dissensione in disceptationem venirent, aut quarum altera quidem in opinione et hominum existimatione, altera in rerum condicione atque eventu esset posita. Atque id, quod ante particulam *quam* positum est, non esse;

alterum contra, quod post eam particulam sedem tenet, esse, intelligitur. Perspicuum est, quantum intersit, utrum dixeris verbi causa: ipsorum, non Hannibalis, interesse, an ipsorum, quam Hannibalis interesse: quod rursus differt ab his: ipsorum magis, quam Hannibalis interesse. Mea quidem opinione hic loquendi modus per synesin explicandus est. Ut exemplis supra allatis utar: aliud, quam speraverant, augebatur: speraverant, *invidiam* auctum iri; sed aucta est *miseratio:* vel *aliorum, quam* quem opinarentur, *Hannibalis interesse:* scil. ipsorum. Itaque nomen, quod ante *quam* positum est, quia locum tenet pronominis adiectivi *alius*, per *quam* alteri nomini iunctum est. Dialectici porro ellipsis generis sunt haec quoque: *quo mihi fortunam, quo mihi innumerabiles libros ac bibliothecas, quid mihi divitiae:* nam quod verbum de tuo adiicias, ratione tantummodo decernitur. Cognatum huic generi est zeugma, per quod cum unum verbum substantivis duobus pluribusque iungatur, quorum uni alterive tantummodo aptum sit, ratione est ea huius verbi notio elicienda, quae substantivis accommodata sit. Nec vero singula modo verba omittuntur, sed saepe etiam totum aliquod enunciatum reticetur; velut: petit, ut ad Caesarem mitteretur; intelligitur: *si placeret.* (conf. Herzog. ad I. Caes. de bell. gall. 18.); Cic. Tusc. I. 6. *quia disertus esse possem, si contra illa dicerem. Quis enim non:* sc. facile crediderim, quis enim. Tac. Ann. II. 63.: nam multis nationibus; ubi vid. interpretes. (conf. Schell. praec. stil. Tom. II. 509. nr. 4.). At nulla est ellipsis, ubi particula aliqua aut praepositio vim vocabuli alicuius aut totius enunciati comprehendit; ut in iis, quos Bötticher ex Tacito et Sallustio locos protulit; in quibus *in,* (conf. Cic. ep. ad Att. IX. 2. med. XVI. 9. 1.; verba *ad quintum milliarium* spectant ea, quae Atticus Ciceroni scripserat: sc. *se obviam ituros;* quamobrem haec a Cicerone omissa.) *ex,* (conf. IV. Ann. 6.; Burmann. ad Vell. II. cp. 97.) *a,* (conf. XIV. Ann. 8.) *extra,* (conf. IV. H. 15.) *per,* (ut Hist. III. 15.) id, quod per omissum verbum ille declarari vult, significant. Omnino nimia interpretum sagacitas cum apud alios scriptores, tum apud Tacitum multas ac miras saepe ellipses reperire sibi visa est, velut verborum *castra ponere, collocatos, intentum esse* (vid. Bött. Lex. Tac. Proleg. p. 87.); at Ann. XII. 33. antecedunt verba: *sumto ad praelium loco.;* II. 43. omissum est partic. verbi substantivi. Hist. I. 80. praepositio *in* ipsa explet vicem verbi, quod omissum dicunt; Ann. XIII. 43. significatione verbi *defendere* illustrata, non erit, cur ellipsin esse statuamus.

Quae de ellipsis usu hactenus disputavi, satis demonstrabunt, verbum *agere* etsi multis aliis locis omissum sit, tamen hic non iniuria desiderari. Non comparari possunt H. I. 36. (nec deerat Otho, protendens manus, adorare volgum, iacere oscula, et omnia serviliter) et qui huius similes loci sunt: nec vero Tullii verba, quae Walchius contulit, commode huic Taciti loco, de quo agimus, componuntur; est enim locorum inter se magna differentia, est alius color, alia structura. Quodsi non activi infinitivus requireretur, suspicarer legendum esse: *nihil penes libertos servosque rei publicae:* hac enim praepositione nihil apud Tacitum frequentius; velut H. II. 31. 39. 47. III. 5. 50. 63. 75. IV. 2. 39. 55. Ann. II. 45. 52. XI. 28. XIII. 56. XV. 11. 14. 54. aliis iisque plurimis locis. conf. Ann. IV. 7. (modesta servitia, intra paucos libertos domus); at sequentibus infinitivis *ascire, exsequi* activi infinitivus requiri videtur. Mallem igitur scriptum: *Nihil agere per,* uti Ann. XII. 40. Groslotii enim *geri* vehementer mihi displicet, nec Hertelio quisquam consentiet opinanti, quod nullum verbum scriptori satisfecerit, propterea verbum omissum esse. Quid? nonne in promtu erat scribere: *nihil permittere libertis servisque rei publicae:* quod verbum Tacito frequentatum est. conf. Hist. I. 90. II. 20. 57. V. 9. IV. 6. 25. Ann. VI. 27. XII. 20. XIV. 17. 26. alibi. Quicquid erit, ab ipso Tacito verbum omissum esse, mihi persuadere nequeo. —

Non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire.

In nonnullis exemplis legitur accire: verum si quis Annal. III. 36. IV. 5. 17. VI. 20. 33. 42. XI. 8. 15. 17. 36. XII. 14. 25. XIII. 38. XIV. 6. 7. 20. 21. 61. 62. XV. 10. 51. 53. 55. 56. Hist. I. 80. II. 9. 15. 18. 23. 26. 39. III. 15. 40. 45. 52. 69. IV. 15. 33. 68. 72. 73. 83. 84. V. 1. 14. 25. 26. aliosque locos comparaverit, videbit, *accire* hic stare neutiquam posse. Hist. II. 1. *in adoptionem accitus* i. e. für den Zweck der Ankündung herbeigeholt, uti Ann. XI. 24. i. e. accitos, qui in senatum legerentur. Rectius ergo Virgil. XI. v. 308. *adscitis* in armis, quam *accitis: l.* XII. autem v. 38. necessario legendum: *ascire* socios. Tacit. H. IV. 80. asciri inter comites. H. IV. 24. asciri in societatem Germanos; Ann. I. 60. in commilitium adsciti. Hist. I. 15. in penates Hist. II. 53. in senatum adscitus III. 50. ad has copias — optimus quisque asciti. Ann. XVI. 20. Silia ad omnem libidinem ascita (Var. Scr. adscita). Ann. XIV. 52. laudem sibi adsciscere. De

locutionibus in nomen, in cognomentum adsciscere vid. Böttich. Lex. Tac. s. h. v. Nulla re addita, *in* vel *ad* quam aliquid adsciscitur, legitur H. II. 8. milites quosdam adscivit (V. Scr. ascivit) i. e. er zog sie an sich. Annal. XII. 10. XIV. 40. VI. 31. Germ. 21. Hist. I. 29. alibi.

Ex his locis colligitur, *ascire* quamvis rarum sit, nullo modo addubitari aut subverti posse. Ab *scio* enim cum scisco, ascisco vel adscisco ductum sit, consequitur, ut perfectum ascitus vel adscitus ad ipsam formam *ascire* revocetur. Adscio et ascio, adscisco et ascisco varia scriptura est; praeferenda videtur altera ascio, ascisco. Deinde omnibus locis *asciscere* apparet significare: an sich ziehen, heranziehen, annehmen, aufnehmen. Nulla est igitur intelligendi difficultas, cum legimus: socios asciscere, arma ascita, asciti quarumcunque civitatium cives; ducem, principem aliquem asciscere, copias asciscere vel asciscere aliquos in numerum quorundam, tirones in numeros, milites ex iunioribus, alia his similia. At hoc loco verba *milites ascire* minime expedita sunt. Woltmannus »nimmt nicht Krieger zu sich« Strombeckius »berief er zu sich die Krieger« Dronkius »ad altiorem gradum provexit« interpretati sunt. Verum Tacit. III. H. 44.: in quibus plerique centuriones ac milites provecti erant. conf. XV. Ann. 21. IV. Hist. 59. Atque provehi, attollere ordinibus, promovere, in superiores ordines traducere, ad meliores gradus perducere me legere apud veteres memini: *asciscere* hac vi usurpatum non reperi. L. Walchius explicat: erwählte er aus dem Depote der jungen Mannschaft; Böttticher denique »da ward kein Krieger — zur Legion gewählt. Walchio Rothius quoque et Walther assensi sunt. Constat, referentibus Centurionibus tirones in cohortes subisse: nec dubium est, quin milites proprie dicti sint, qui in legionibus stipendia facerent: quod ipso veriloquio declaratur: quapropter exercitum tironum a legionibus veteres distinxerunt. Accedit testimonium Isidori, qui de Orig. *l.* IX. 36. tradit: tirones antequam sacramento probati essent, milites non fuisse. Haec omnia Walchii opinioni suffragari videntur; nec tamen equidem ei consentire ausim. Nam probari non poterit, tam distincte omnibus locis locutos scriptores esse, ut *milites* intelligi voluerint legionarios solos: etenim iidem dixerunt *miles legionarius, miles auxiliarius, milites tirones* (Cic. Phil. XI. 15.); numerarunt etiam alares in militibus: conf. Tacit. II. H. 94. Et quos locos Walchius congessit, iis nihil demonstratur, nisi aliud fuisse militum delectum, aliud promotionem: deinde fuisse, qui supplendis legionibus adscriberentur: denique legionum robur, ut Vegetius ait, infractum, cum in promovendis militibus gratia et ambitio magis, quam virtus ac labor valere coepissent: sed, qui cardo totius quaestionis est, quum non additum sit, ex quorum numero milites adsciverit, probari debet, verbo *adsciscere* id ipsum significari. Boxhornii opinio, non milites, sed Centuriones ab Agricola electos, refellitur, non re, sed usu loquendi. Etenim *tribunos militum* veteres dixerunt; non item *Centuriones militum*. Melius igitur id, quod Walchius ex eius coniectura effecit: *precibus militum Centuriones ascire*: nam gratia ac favore militum haud dubie ordines saepe deferebantur. (conf. Ann. I. 44. Hist. III. 49.). Veruntamen *ascire* Centuriones nove dictum esse, iam pridem Walchius monuit. Et sic res se habet: sed idem obiici potest Walchio. Nam milites asciscere »Legions-Krieger erwählen« non minus nove dictum. II. Hist. 5.: tribuni centurionesque et volgus militum industria, licentia, per virtutes, per voluptates .... adsciscebantur: et quem locum supra laudavi, Hist. II. 8. *milites ascivit*; his igitur locis aliisque sat multis *asciscere* certe non licet explicari: aus dem Depote junger Mannschaft in die Legionartruppen aufnehmen. Necesse est, aut nominentur ii, qui milites (als Legionskrieger) i. e. in militum numerum asciscantur, aut aperiatur, ex quorum numero asciti sint; nam *milites ascire* valet Legionskrieger, non als Legions-Krieger, an sich ziehen, zu sich herannehmen. Adde, quod vocabulum *miles* nisi id aliunde cognoscatur, non magis ubique Legionskrieger sonat, quam idem significat *peditem*, nisi vox *eques* opposita sit. Praeterea, quae sequuntur verba: sed optimum quemque fidelissimum putare, dubitationem iniiciunt, an Tacitus proxime antecedentibus de adscripticiorum sive accensorum promotione egerit. Quae cum ita sint, rem Walchiana interpretatione nondum transactam esse, mihi certissimum est. Equidem cum legerem Hist. II. 81. III. 50. IV. 24. V. 16. Ann. XV. 26. Caes. IV. de bell. Gall. 7. I. de b. c. 57. Frontin. I. 1. 9. Gronov. ad Liv. 34. 29. 10. Fest. s. v. praetoria; Lips. de re milit. *l.* II. pag. 59., incidi in opinionem, fortasse manum delectam Agricolae adfuisse more praetoriae cohortis, quae ipsi legato praesidio esset et maximis periculis obiiceretur: atque in hunc numerum Agricolam fortissimum quemque *ascivisse*. Sed haec suspicio infirmatur eadem re, qua Walchii interpretatio laborat: nam verba *milites ascire* hanc sententiam non explent.

Nec placet mihi, pro Centurionum reponi *ad Centuriatum:* obstat enim antecedens *privatis*, quod omnem mutationem a voce *Centurionum* defendit. Ego ipsam vocem *ascire* suspectam habeo: nata autem fortasse est sequentibus *omniascire;* sententia enim haec mihi videtur esse: Agricola fidem militum non studiis privatis, nec ex commendatione aut precibus Centurionum, sed sola fortitudine ponderavit seu existimavit. Haud dubie ii, quorum virtus duci approbata esset, data occasione promovebantur; sed id existimationem ducis consecutum. Fortasse ex verbo *putare* repetendum est id ipsum verbum, cui subdita est larva ista *ascire:* conf. Ann. VI. 29.: *nihil hunc amicitia Seiani, sed labefecit.* Convertam totum locum: Nicht nach den Rücksichten persönlicher Vorliebe, noch nach Empfehlung oder Verwendungen der Centurionen würdigte er die Krieger, sondern ihm galten die tapfersten für die diensttreuesten.

Frumenti et tributorum auctionem aequalitate munerum mollire: circumcisis quae — tolerabantur. Vatic. 4498: *tributorum exactionem:* quam scripturam tum Walchius tum alii viri docti prae altera *auctionem* spreverunt: intelligi enim tributa per Vespasianum adaucta. Equidem miror, a Tacito nihil adiectum esse, quo et res ipsa illustraretur, et ambigua vocis *auctio* significatio definiretur: nam *auctio* plerumque aliud quid valet: apud Macrobium autem *dierum auctio* (ein Zusetzen) et opposito *retractio* satis declaratur, nec potest ullo pacto cum hoc loco conferri. Deinde *adauctae* res decrescunt, imminuuntur, deprimuntur potius, quam molliuntur: nec tamen id quidem me moratur, quia exempla huius verbi audacius translati plura reperiuntur; atque cum gravia ac dura omnino tributa sint, ad sensus eorum, qui pendere ea coacti erant, significandos verbum *mollire* sane est aptissimum. Sed aliud est, quod me incertum reddat. Etenim quae verbis *circumcisis, quae — tolerabantur,* intelliguntur iniquitates in exigendis tributis; *aequalitate munerum,* (gleichmässige Vertheilung der Abgaben) molliri non poterant: itaque, quomodocunque vim participii explicaveris, necesse erit, addi *simul* seu *etiam.* Denique falsum est, *frumenti* per se significare G e t r e i d e l i e f e r u n g. Nam IV. Ann. 6. *frumenta* subsequenti voce *vectigales* quid sit, intelligitur. Quod si hoc loco non sequeretur *tributorum,* neutiquam liceret *frumentum* interpretari »abzulieferndes Getreide«: nam ut id intelligamus, necesse est, adiici verbum aliquod, cuius significatione propria vis illius vocabuli quasi coloretur; velut frumentum imperare, aequaliter describere, pretium frumento statuere, frumentum civitatum improbatur, haec et alia huius generis plana et expedita sunt. Eodem modo cp. 31., cui loco lumen attulit felix Walchii coniectura, verba *annos in frumentum egerunt,* et sententia totius loci et antecedente voce *tributum* illustrantur. Pariterque si quis dixerit *exigere frumentum* sive *frumenti exactio,* nemo erit, qui haec non intelligat: non item, si quis dixerit: *augere frumentum, auctio frumenti.* Accedit, quod eadem horum verborum confusio reperitur XIII. Ann. 51.; ut quam dubia sit librorum auctoritas appareat. Examinatis igitur utriusque scripturae ponderibus, altera *exactionem* mihi quidem videtur praestare alteri.

## Cp. 20.

Militum in agmine laudare modestiam, disiectos coercere — *militum* dedit Rhenanus ex coniectura: eumque plerique secuti sunt praeter Dronkium, Beckerum et Rothium, qui codic. Vatic. 3492. scripturam tuentur. Locutio *multus sum in re* notissima est et a viris doctissimis satis illustrata (vid. quos laudat Arntzenius ad Nazarii Const. cp. 26.). Sall. Jug. cp. 84. *multus instare*; cp. 96. *in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse.* Ovid. Trist. IV. 10. 128. *plurimus legor:* ut igitur his aliisque locis, ubi haec locutio reperitur, omnibus *multus* cum ipso verbo finito iungitur, ita hoc quoque loco *multus* iungendum erit cum verbis *laudare* et *coercere*, cum tamen sententia postulet, ut ad verba *in agmine* referatur. Quod cum viri illi doctissimi, quibus legendum videtur: *multus in agmine laudare* intellexissent, vocem *multus* vi participii positam voluerunt: at tota huius locutionis natura adversatur, quominus iis in hac re obtemperemus. Neque Rothius hoc evincet, ut consentiamus, *militum* plane esse supervacaneum. Recte quidem ille animadvertit, *modestiam* pro *modestos* scriptum esse: at eo ipso, quod Tacitus ita variavit orationem, requiri mihi videtur genitivus *militum.* Sententia enim est: in agmine militum eos, qui essent modesti, laudavit: qui essent disiecti, coercuit; igitur non video, cur haec vox damnetur: quae si hoc loco supervaceanea sit, quia in agmine non alii sint, nisi milites, eadem, ut unum tantummodo locum ex innumeris aliis proferam, apud Caesarem VII. de bell. gall. 52. aeque supervacanea erit; si quidem in illa concione, quam advocaverat, nemo

praeter milites erat: et tamen ille non scripsit: *temeritatem cupiditatemque reprehendit:* sed adiecit *militum.* Praeterea cum militibus licuerit et modestis et disiectis esse in castris quoque aestivis hibernisque, in praelio, alibi, verba *in agmine* non seiungenda esse a vocibus *modestiam* et *disiectos,* perspicuum est. Quid? si scriptum esset: *multus in agmine, laudare modestiam, disiectos coercere;* num explerentur aures? immo eas ipsas puto postulaturas: laudare militum in eo (agmine sc.) modestiam, disi.. coerc. — Paullo supra scriptura *intolerantiam* mihi probatur, non quod locis ab Hertelio laudatis illa confirmetur, sed quod particula *vel* iterata est: quo modo non distincturum arbitror fuisse Tacitum, nisi duo haec vocabula dissimili essent vel potius contraria inter se significatione. Denique quae voci *tolerantia* subiecta est notio, huic loco parum convenit. — *tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit.* — Locus vexatissimus, in quem expediendum iusto plus temporis frustra insumsi. Coniecturarum magna est copia: nec tamen ullam inveni coniecturam, quae diligentius considerata mihi probaretur. Ac primum quidem non audiendi sunt ii, qui dicant *ut* positum esse pro *quanta:* deinde *nulla ante Br. nova pars* nihil aliud potest significare, nisi: kein früherhin neuer sive unbekannter Theil Britanniens. Quae cum ita sint, quemadmodum sequentia commode expediantur nescio: id tantum dispicio, alterutrum intelligendum esse: aut has civitates tanta ratione curaque praesidiis castellisque circumdatas esse, ut si qua alia Britanniae pars, hae ipsae civitates modo in ditionem Romanorum redactae pacem illacessitam nutrirent: aut has civitates praesidiis castellisque ita esse circumdatas, ut Agricola nullam partem Britanniae novam seu nondum cognitam vel subactam tramiserit illacessitam: quae ipsa est Rothii opinio haud improbanda; fallitur tamen in eo, quod *transire* dicit hoc loco accipi posse pro *tramitti:* mallem coniecisset: ut nullam tunc Britanniae novam partem illacessitam transmiserit. Nam *ante* facile antecedenti syllaba et compendio scripturae *tc̄* nasci potuit. Altera autem, quam proposui, opinatio postulare videtur, ut legatur: tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae *nostrae* pars tam illacessita transierit. *noua* et *nostra* in libris manu scriptis saepe confusa sunt. Denique in mentem venit: ut si in ulla parte Britanniae, in hac nova pax illacessita manserit. Sed ut dixi, operam in hoc loco expediendo perdidi; nec quidquam tuli solatii, nisi quod Fr. quoque Ritter salutem huius loci desperavit.

## *Cpp. 24. 25.*

Quinto expeditionum anno nave prima transgressus.

Quam Walther in annotatione ad hunc locum memorat Sellingii et Ricklefsii opinionem, eam numero in somniis, et quis est, qui nunquam somniaverit? Paullo supra, ubi Tacitus narrat, Agricolam profectum in provinciam, cum legitur, *transgressus est,* nemo sane dubitat interpretari: *in Britanniam traiecit:* atque prudentissimus scriptor illic *transgressus* scripsit, non *nave* transgressus. (vid. Gell. X. 26.). At hoc loco, postquam accepimus, per quatuor iam annos Agricolam in Britannia versatum esse, cum de eius reditione in urbem sive commeatu nihil Tacitus narraverit, necesse erit, nos divinare, si quidem *transgressus* significet in Britanniam *reversus est.* Verba *nave prima* me etiam nunc vexant: et legi profecto identidem annotationes virorum doctorum. Rhodius suffragatus Walchio ad muniendam eius opinionem laudat I. Ann. 27.: *quod is firmare Drusum credebatur et illa militiae flagitia primus aspernari.* Aut me omnia fallunt aut haec ne conferri quidem inter se poterunt. Nam haec ipsa verba plana sunt et expedita: milites enim credebant, Cn. Lentulum primum esse, qui aspernaretur, vel prae aliis Cn. Lentulum haec fl. m. aspernari. (das sei der erste, welcher oder der vor allen — betrachte mit Abscheu). Hoc autem loco offendit vox *prima* postposita nomini suo. Deinde ut adiectivum *primus* pro adverbio positum sit, tamen *prima navis* nihil aliud valet, nisi aut prima pars navis, velut primum limen, extrema epistola, primus digitus, cetera eiusmodi; aut navis quae prima est, seu ante alios collocata, appulsa cet.; velut prima navis praetoria concurrit i. e. das Admiralschiff war das erste, welches, vel in hanc primam navem incidit; dieses Schiff war das erste, worauf. Concedam, audaciores interdum in hoc genere poetas fuisse: vindicet etiam prosa oratio sibi interdum licentiam poetarum: modo ne pugnet cum consuetudine sermonis et has elegantias ambiguitate venetur. Walchius ad comprobandam suam interpretationem his exemplis utitur: Ann. XIV. 10.: *prima Centurionum adulatio eum ad spem firmavit.* At haec expedita sunt: sonant enim primi Centuriones adulando eum ad spem firmaverunt: ergo Centuriones primi erant, qui — firm. Agr. 19. primam domum i. e. prima eius domus erat, quam coerc.

Germ. 2. i. e. Oceanus ab nostro orbe navibus aditur, quae tamen rarae sunt. Ann. XVI. 11.: *propert — inferuntur:* ne comparari quidem huic loco potest. Adde Virg. Georg. I. 12.: Tuque o cui prima frementem Fudit equum magno tellus percussa tridenti: plerumque *prima* iungunt cum terra idque pro *primum* dictum censent. At quid impedit, quominus graecorum more *prima frementem* construas, quod ornatius dictum est, pro: *primum equum?* Eodem modo *torva tuentem, multa gementem, vana tumentem:* simile est Silii Italic. Pun. VIII. 16. prima feroces. Aliud est Horat. Serm. I. 3. 99. *primis terris:* nam quae *primae* dicuntur, sunt novae. conf. Heindorf. annot. ad h. l. Pluribus hanc rem persequi, non huius loci est aut instituti mei: nec dissimilis est ratio omnium locorum, quos viri doctissimi ad illustrandum hunc loquendi modum congesserunt. Qui igitur expediemus verba *nave prima transgressus?* una nave an pluribus? at classis postmodo demum in partem virium adsumta est; num navis haec prima erat? quarum? immo vero, inquiet, *prima* significat *tum primum.* Non credo: sed sit sane ita: non invidebo, cui haec placuerint: Agricola schritt zu Schiff zum erstenmal hinüber. Ceterum, ut recte Walther annotavit, cum per angustum terrarum spatium aditus pateret, quaeri potest, ad quid nave usus sit Agricola. Mannertus in Geogr. vet. Graec. et Rom. Tom. II. p. 2. pag. 61., Agricolam opinatur iccirco navi traiecisse, ut vicinas insulas occuparet: sed vir eruditissimus ipse hanc opinationem suam dicit incertam ac dubiam. H. Beckeri coniectura *vere primo* mihi probaretur, si eiusdem anni aliud tempus distingueretur. Multo autem deterior mihi videtur coniectura *gnave* seu *nave.* Equidem foedius hunc locum corruptum suspicor. *prima* video interdum a librariis confusum esse cum *proxima:* syllaba posteriori vocis *anno* facile *na* potuit enasci: *vi* et *in* etiam alibi sunt permutata. Porro *nave* et *manu* sunt confusa et voce antecedenti *anno* fieri potuit, ut *magna* absorberetur. Ex his duae coniecturae conflantur; quarum altera est: Quinto expedit. anno *in proxima* transgressus; altera: Quinto exp. anno *magna manu* (conf. Liv. XXXXIV. 27. 4, et cp. 26. 3.) *in proxima* transgr. Verisimilius tamen mihi videtur esse, in corruptis verbis *nave prima* latere nomen fluminis aut *aestuarii,* quod tum Agricola transgressus sit. Ut hae meae suspiciones inanes sint, illud dubitari nequit, quin verba *nave prima* stare nequeant.

*Solum caelumque — differt: in melius aditus .... cogniti.* Rhenanus emendavit *differunt:* quod quidem non ita est necessarium. Alii legunt: *haud multum differt in melius:* hae sordes sunt, quas tandem purgari oportet: nec magis probari potest: *in melius cogniti,* quod placuit Walthero. Rothius, *differt in melius* tutatus, explicat: Boden, Klima, Art und Lebensweise der Einwohner weicht nicht weit ab von Britannia und zwar in der Richtung auf's Bessere« verba und zwar de suo addidit: nimirum ipse sentit, quam contorte haec dicta sint. Locutionibus autem *in deterius credi, in falsum aucta, in maius accipi, in neutrum de aliqua re loqui* verba *haud multum differt in melius* comparari nequeunt. Equidem consentio Rittero: nec tamen lacunam puto esse: quippe enim ea, quae vir doctissimus excidisse opinatur, ego arbitror satis indicari antecedente particula *haud:* converte Boden, Klima .... unterscheidet sich wol nicht viel: besser hat man Zugänge und Häfen .... kennen gelernt? quis non statim intelliget, melius, scil. quam solum caelum, cetera. *in* denique initiali litera sequentis vocis ortum suspicor. Ceterum si particula inserenda esset, *sed,* non *at,* foret reponendum. — Paullo infra cp. 25., *auctus Oceanus* H. Becker, Ritter, Rothius recte retinuerunt. Etenim truculentia terrae et hostium cum tumentis Oceani (Ann. 70. Hist. III. 47.) aestu comparatur. Walther mavult *auctus* ad utrumque referri et ad terram hostilem et ad Oceanum; cui non consentio, aliud suadente ipso verborum ordine: deinde subsequentibus verbis *militari iactantia* (Uebertreibung) vix fieri potest, ut *auctus* interpretemur: *in maiorem et terribiliorem speciem descriptus.* Ceterum similis iactantiae militaris exemplum memoratur Sallust. Jug. cp. 53.

## Cpp. 26. 27. 28.

Scriptura *erupere* una verissima est. Nam cum hostes erupissent, Romani in castris suis in artum erant compulsi (ἐελμένοι): postquam animus rediit, ipsi in hostem erumpebant: quo facto in ipsis portarum faucibus tam atrox proelium ortum est. — cp. 27. Mscr. Vatic. 3429. *victoriae conscientia:* quae scriptura nonnullis viris doctis admodum placuit. Ego quemadmodum *conscientia victoriae* et *conscientia rebellionis* (Ann. XII. 31.) inter se conferantur, non perspicio, cum quam diversa haec sint, appareat. Neque Walchio consentio interpretanti: Dauer und Ruf vel dessen dauernden, gleichbleibenden Ruf. Nam constantem huius

victoriae famam fore, miles statim post proelium scire non poterat: atqui ferocia illico animos eorum incessit. Equidem *constantia victoriae* significari puto *veram, non dubiam* victoriam. conf. Flor. II. cp. 18. Non enim, ut saepe accidit, e proelio ita excesserant, ut incertum esset, utra acies victoriam sibi vindicare posset: sed hostes magna clade accepta exturbati castris et in fugam conversi erant. Jam vero eadem victoria erat splendida (conf. Liv. XXXVIII. 37. clarior nobiliorque victoria); quippe enim debellari potuisse hostes videbantur. Haec est illa fama, qua militum animi elati sunt. Equidem converto: durch den entschiedenen und ruhmvollen Sieg: latinorum enim more pro adiectivis substantiva posita sunt. — *At Britanni non virtute, sed occasione et arte ducis rati.* Ars hoc loco est strategema (Kriegslist), idque laudis Britanni Romanorum duci concedere poterant, quin a renovando bello absterrerentur. Multum igitur abest, ut cum Rothio sentiam, qui aequo animo vocem *ducis* exulare iubet. At *occasio* in medio posita erat, ut gregariis quoque militibus ea uti liceret: ars erat unius ducis. Ritter pro *ducis* ex coniectura dedit *fusos:* cui, si eiiciendam existimarem vocem *ducis*, libenter assentirer. (conf. Ann. II. 5.): sed cum comparo Hist. III. 44., ipsa rerum similitudine etiam magis adducor, ut coniecturam *victos* ceteris opinionibus anteponam legique malim: non virtute, sed occasione et arte ducis se victos rati. Ad sententiam aptissime conferri potest Caes. de b. g. I. 40. — cp. 28. *et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis. Remigante* Mscr. Vatic. ac plures edd.: *remigrante* vett. edd.: quae scriptura tam inepta est, ut tandem, quod pridem fieri oportuit, loco suo cedere cogatur. Nam si quis e navi se proiecerit, si se proripuerit seu subduxerit, si denique incolumis evaserit e custodia barbarorum, qui tandem liceat dicere, eum *remigrasse,* cuius verbi longe alia sit significatio? Altera scriptura *remigante* multis nominibus impugnatur. Nam infra Tacitus narrat: amissas esse naves per inscitiam regendi: ex quibus verbis iure colligitur, in huius itineris erroribus gubernatorem barbaris adfuisse nullum. Deinde *remigare* gubernatores non solent. Haec tamen dubitatio potest infirmari. Cum enim duo suspecti Usipiis fuissent et ea de causa interfecti, accidit fortasse, ut barbari, cui gubernacula non committerent, eum remigare cogerent. Denique ex verbis *suspectis duobus eoque interfectis* sunt qui petant, quod scripturae *remigante* obiiciatur. Nam quae sit series sententiarum, intelligi aiunt, hunc unum gubernatorem aliquid perpetrasse, quo socios suos in suspicionem vocaverit. Atque vir doctus quidam hanc ob causam verba *eoque interfectis* traxit etiam ad unum illum suspicionum auctorem. Ac sane si *duobus suspectis* non interpretemur, »nachdem bereits zwei ihnen verdächtig geworden und deshalb niedergemacht worden waren« non poterit fieri, quin cum iis sentiamus, qui dicant, huius unius culpa factum esse, ut reliqui duo in suspicionem incurrerent. Equidem non negem et re et verborum ordine hanc opinionem firmari: certam tamen eam esse, dicere non ausim. Jllud autem haud facili negotio dilui potest; quemadmodum uno gubernatorum superstite fieri potuerit, ut inscitia regendi naves amitterentur? Quae cum ita sint, certe suspecta est altera quoque scriptura *remigante.* Utinam alius quis in indaganda voce, quae pro *remigante* reponatur, felicior sit! Ego pressi vestigia scripturae, sed frustra: nihil inveni, quod mihi probaretur. Non placet *emicante* (Virg. Aen. VI. 6.: iuvenum manus emicat ardens litus in Hesperium), non *se liberante* (conf. Phaedr. III. 2. 10.); nec magis *renavigante, restitante, tergiversante, enatante, repedante* huic loco quadrant. — *Mox hac atque illa rapti et cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi ac saepe victores aliquando pulsi eo ad extr.* — Sic Rhenanus ex emendatione dedit. Scriptura codicis est: *mox ad aquam atque ut illa rapti secum:* in libris denique legitur: *mox ad aquam atque ut illa raptis secum.* Dio Cassius 66., 20.: ὥς που τότε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε. His Dionis verbis inductus Walchius *rapti* interpretatur »fortgerissen.« Haud dubie *rapti* multis locis, uti Ann. II. 55. H. V. 22., alibi id significat: sed quae Dio l. l. tradidit, tantum discrepant a Taciti verbis, ut ex illo nihil, quod ad sanandum hunc locum utile sit, hauriatur. Considerata paullo attentius scriptura codicis negari nequit, Rhenani emendationem iusto esse audaciorem. Bosii coniecturam Walchius iure mihi videtur abiecisse. Sellingius (vid. Walth. in annot.) coniecit: *mox ad aquam atque utilia rapienda cum plerisque,* vel *mox autem aquam atque utensilia raptantes cum plerisque.* Rothius, Sallustii memor, suadet, pro *atque ut illa* scribatur *et quae usui.* Manifesto locus est depravatus. Lucian. Tom. II. p. 137. ἀποβάντες δὲ προσῄειμεν ὑδρευσόμενοι καίτοι καὶ σιτίον ληψόμενοι, εἴποθεν δυνηθείημεν. De re simili fere eadem verba. Equidem conieci: mox apud aquam (conf. Sall. Jug. 98.) aliaque utensilia rapientes cum plerisque .... congressi (sc. sunt.); et alias: mox ad aquandum aliaque utensilia rapturi exire, et cum plerisque Br. .... congressi cet.

**Cpp. 30. 31.**

*Priores pugnae — effugeris.* Prius, quam singula considerem, totum locum enarrabo. Calgacus, qui Britannorum, inquit, per hos annos cum Romanis conflixerunt, si res minus prospere cessisset, spem ac subsidium in nostris armis habebant: nam nos reliqui eramus, liberi adhuc et intacti, iidemque totius Britanniae nobilissimi. Nostra fama late dispersa et eo maior, quo sedes nostrae remotiores. Hic igitur recessus ipse ac sinus famae nos ab impetu Romanorum defendit: nunc vero ad extremas istas, quas incolimus, Britanniae oras hostes pervenerunt. Jam concidit, quod pro nobis stetit: nam ignotum omne pro magnifico est: desieris enim admirari, quod ex propinquo cognoveris. Quid ergo, cum res eo venerit, agemus? nihil restat, nisi ut arma experiamur. Etenim nulla iam ultra gens nec aliud effugium est; ab altera parte nos cingunt fluctus et saxa, ab altera hostes his etiam infestiores: neque vero obsequio et modestia licet nobis melius consulere; quippe enim res nobis est cum rapacissimis ac superbissimis hostibus; igitur necessitas erit vincendi aut moriendi. Haec summa est huius loci: duo autem in disceptationem venerunt; alterum, *sinus famae* quid significaret; alterum, quemadmodum singulae sententiae inter se cohaererent. Ac primum quidem, quicquid Rothius dicit, mihi persuasum est, *famae* esse genitivum, aptum ex verbo *sinus.* Ne iungatur idem cum voce *recessus*, tum ordo verborum monet, tum particula *ac.* *Sinus* autem *famae* aut sinus est, quem fama pandit, quo fama recipit, cohibet, occultat seu claudit: aut sinus est, in quem fama se abdit: utrumque improprie dictum est, alterum etiam audacius. Eleganter Sil. Ital. XIII. 254.: ni caeca sinu terras nox conderet atro. Veruntamen fama, nisi ea obscura sit, vix poterit aliquid condi. conf. Virgil. V. 302.: *multi praeterea, quos fama obscura recondit;* eos nimirum dicit, quorum ne nomina quidem nota sint. Est fama sane monstrum, etiam si voles, anus: et poteris ei sinum affingere, ex quo miracula rerum excutiat: sed hae nugae sunt; nec minus ineptum erit, famam ad similitudinem matris infantem gremio foventis revocare. Itaque restat, ut *sinus famae* explices: *sinus, in quem se fama abdit.* Nam ex longinquis seu remotioribus locis excurrens (conf. Virg. II. 17.: fama vagatur: VII. 114. late volitat) si in eadem quasi caput ac fontem suum reptaverit, nihil impedit, quominus eam dicas in sinum sese abdidisse. Constat enim, *sinum* significare etiam interiorem partem, qua res aliqua recipiatur, ubi in tuto et occulto lateat. Calgacus populares suos dixit nobilissimos esse, ideoque in penetralibus sitos: intelligitur, voces *recessus ipse* haec penetralia spectare: vocem *famae* autem illud *nobilissimos.* Infra quidem *ignotum* omne ait pro magnifico esse: nec tamen pugnantia loquitur: nam illa nobilitas *nominis* est, quod nomen fama per totam Britanniam nobilitaverat; Romanis tamen erant iidem ignoti: nondum enim congressi nec vires invicem experti erant. Aptissime autem omnia cohaerent, ut nihil omnino suo loco movendum sit. *Nunc* necesse est, quam proxime verbis *in hunc diem* collocatum sit; ergo ne somnianda quidem verborum transpositio. Cetera hoc modo explana: quae ad id tempus recessu et sinu famae clausa ac defensa erant, nunc reserata sunt adventu Romanorum et aperta; non amplius igitur ignoti sumus, et quam speciem magnificam prae se fert quodcunque ignotum, ea iam sublata est: sed quicquid futurum est, nobis non licet ambigere; etenim nulla gens cet. Est igitur perspicuum, legi posse et *atque* et *atqui:* Etenim *atque,* quae est scriptura, spectat eam sententiam, quae ex antecedenti *patet* repeti potest; *non amplius in occulto sumus; atqui* (und gleichwohl, und doch) facit, ut insequentia »*omne ignotum pro magnifico est*« adversa fronte opponantur voci *patet.* *Sed* denique, magna cum vi dictum, explet suppressae sententiae vicem. Restat, ut in patrium sermonem totum locum convertam: Frühere Kämpfe, worin man sich gegen die Römer mit wechselndem Glücke versuchte, hatten noch Hoffnung und Rückhalt in unseren Armen: sintemal wir die nahmhaftesten von ganz Britannien sind und deshalb so recht in der Tiefe des Landes liegend und verschont mit dem Anblicke des von Knechtenden bewohnten Küstengebietes haben wir selbst das Auge von dem befleckenden Bilde der Fremdherrschaft rein erhalten. Uns die Grenzbewohner und die letzten freien Männer hatte die Entlegenheit selbst, sowie unser in so weite Ferne sich zurückziehender Ruf bis auf diesen Tag vor der Römer Angriffen bewahrt. Nun stehen Britanniens Grenzmarken offen und — alles, was noch so gut als unbekannt ist, gilt für gross und herrlich. Indessen kein anderer Volksstamm liegt weiter über uns hinaus, nichts als u. s. w. — cp. 31. *Bona fortunasque — conterunt.* Mscr. Vatic.: *bona fortunae quae in tributum aggerat, animus in frumentum:* Pro *aggerat* tamen *agerat,* et pro *animus* in

eodem libro legi *annus* testatur Dronkius; *egerat* ed. Alc. His igitur vestigiis insistentes alii emendarunt *aggerant, annum in fr.*, alii, ut Walther, *aggerata, annis in frumentum.* L. autem Walchius, qui egregie de sanando hoc loco meritus est, ex coniectura dedit: *bona fortunasque in tributum egerunt, annos in frumentum.* In his tamen offendit pluralis *annos*, cum ne poetae quidem nisi singulari numero utantur. Deinde cum *annus* significet annuum proventum, et hoc quidem loco frugum seu frumentorum proventum, locutio *annus in frumentum egeritur*, novitatis admirationem habet, non aliter ac si quis popularium diceret » den Jahresertrag an Getreide bringen sie für das Getreide hinaus. « Nam ut supra dixi, *frumentum* per se non valet Getreidelieferung: sed antecedenti *tributum* concedam, definiri significationem, quae hoc loco voci *frumentum* tribuenda sit. Mallem tamen Walchius legendum censuisset: bona — in tributum egeruntur, annus in frumentum; corpora ipsa . . . . conteruntur. — *Brigantes femina duce — seposuerint.* Hic quoque locus acumen virorum exercuit. Quantum iam consumtum est temporis in purgandis sordibus, quibus inertia librariorum nitidissimos veterum libros aspersit, quamque raro contigit, ut loci sanarentur, qualis iste est, qui misere corruptus ac depravatus iacet! Duplex autem est scriptura; altera eaque auctoritate veterum editionum firmata haec est: *et in libertatem non in praesentiam laturi primo statim congressu unde ostendamus:* altera est codicis Vaticani, in quo legitur *et libertatem* aut alio teste *et in libertatem, non in poenitentiam laturi primo statim concursu ostendamus.* Rhenanus ex emendatione dedit: *et libertatem non in praesentia laturi* aut *illaturi. pr. st. conc. unde ostendamus.* Ceteras doctorum virorum coniecturas, quae permultae sunt, referre non huius loci est. Fr. Ritter quamobrem Vaticani scripturam interpolatam dixerit, cum nullam huius suae opinionis rationem reddat, nescio: nihil est enim frequentius, quam *in praesentia, in praesenti;* ergo, si quid interpolatum crederem, has potius voces subditas esse existimarem, quam vocem quamvis depravatam *poenitentiam.* Jam vero totum locum diligentius consideremus. Comparat Calgacus Brigantes cum Caledoniis: illis ducem fuisse feminam, his virum esse: illorum vires proeliis fuisse imminutas, horum esse integras: illorum animos et cladibus et quia servitium sensissent, fractos; hos indomitos, quorum ne oculi quidem adspectu servitutis violati essent: illos libertatem amissam recuperare conatos, his illibatam libertatem tuendam esse: illos, etsi nulla re cum nobilissima Caledoniorum gente possent conferri, tamen prospere rem gesturos fuisse, nisi felicitas in socordiam vertisset; quanto magis igitur decere Caledonios primo statim congressu fortiter ac strenue proeliando victoriam ex hostibus reportare. Haec igitur expedita: at verba *et in libertatem non in poenitentiam* aut *non in praesentiam laturi — unde ostendamus* sunt impeditissima. Prius *in* resedisse ex verbi *indomiti* ultima syllaba opinatus est Fr. Ritter; mihi secus videtur esse; nam interiecto *et* vix residere ex *ti* illud *in* potuit: accedit, quod alterum *in* post *non* positum alteri etiam suppetias fert. Rothius *ferre* ait pro *referre* dictum esse, et locutionem *libertatem non in poenitentiam laturi* comparat cum verbis (Ann. I. 28.) *in sapientiam vertenda:* significare autem *poenitentiam* statum seu condicionem, cuius poeniteat. At haec Rothii interpretatio vix cuiquam probabitur. Idem alteram scripturam *in praesentiam* etsi subditicia videatur esse, non spernendam putat; quippe cuius sententia sit: Caledonios, non ut Brigantes, in praesenti tantummodo libertatem ex acie ablaturos. Nec tamen Rothio soli arbitror accidisse, ut in utramque partem distraheretur. Est enim talis hic locus, de quo vix certi quidquam statui possit. Conferre me iuvat locos quosdam, qui aliquam habent sententiae similitudinem. Sall. Jug. 49.: illum diem aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum aerumnarum initium fore. Caes. bell. Gall. IV. 34. atque in perpetuum sui liberandi facultas daretur. ibid. VII. 1. postremo in acie praestare interfici, quam non veterem belli gloriam libertatemque, quam a maioribus acceperint, reciperare. ib. 66. id sibi ad praesentem obtinendam libertatem satis esse: ad reliqui temporis pacem atque otium parum profici. Tacit. Hist. V. 117. illum diem aut gloriosissimum inter maiores, aut ignominiosum apud posteros fore. Ann. XII. 34. illam aciem testabatur aut recuperandae libertatis aut servitutis aeternae initium fore vocabatque nomina maiorum; quorum virtute vacui a securibus et tributis, intemerata coniugum et liberorum corpora retinerent. Ann. II. 15. aliud sibi reliquum, quam tenere libertatem, aut mori ante servitium. Sed satis est, hos locos laudasse: nunc in sententiam huius loci, de quo agimus, inquiramus. Ac primum quidem scripturam consideremus: *et libertatem, non in poenitentiam laturi: laturi* uti Ann. VI. 34.: Pharasmanes integros semet a Parthicorum dominatu, quanto maiora peterent, plus decoris victores, aut si terga darent, flagitii atque periculi laturos. Itaque per se quidem *la-*

*turi libertatem* nihil habet offensionis; sed *libertatem non in poenitentiam laturi* larva est foedissima. Si Rothio consentirem, suaderem, ut legeretur potius: *libertatem haud poenitendam laturi.* Testantur tamen scriptum esse: *et in libertatem, non in praesentiam laturi:* quae si est scriptura codicis, necessario aut *in* est eiiciendum aut mutandum *laturi*: coniiciendi autem: *et in libertatem nos in praesentia vindicaturi,* nulla est copia, quia liberi erant Caledonii et indomiti: *in libertatem — dimicaturi* coniici potest; uti Vell. II. 85.: pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. ib.: in mortem dimicabatur: sed nihil proficitur, nisi expediantur verba *non in praesentiam;* nec vero licet id, quod Rothius fecit, *modo* (nur) inserere. Sententia ipsa videtur potius flagitare, ut opponatur *in posteritatem* (Just. II. 3. 16.), sicuti alibi *in posterum* oppositum est *in praesens.* conf. Hist. IV. 17. Ann. VI. 46. Alteram scripturam *in poenitentiam* varie tentavi, velut: et indomiti et libertatem, non poenas servientium laturi (i. e. perlaturi, toleraturi): verum eadem sententia paullo infra his verbis profertur: *ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae:* his verbis illa opinatio mea evertitur. Deinde opinatus sum, postremis syllabis verbi *libertatem* et compendio scripturae intercidisse *avitam: non in* autem depravato *nostris* orta: in voce *poenitentiam* denique latere *posteris etiam:* ex his igitur hanc coniecturam concinnavi: et indomiti et libertatem avitam (Ann. II. 10.) nostris posteris etiam tradituri. (conf. Dio Cass. 62. 4. extr.). Denique cum meminissem ea, quae leguntur XIV. Ann. 31., ubi Boudicea in superbiam et libidinem Romanorum invehitur; ad tentandam scripturam *in libertatem* aggressus conieci: *et in libertatem, non impunitatem dimicaturi* (und die wir zu kämpfen gedenken für die Sache der Freiheit, nicht für den Zweck alles sich erlaubender Willkühr) *impunitatem* exprobrat Romanis; *libertatem* autem non suam ipsorum modo dicit, sed totius Britanniae, velut apud Curt. V. 7. extr. Athenienses non suae modo, sed etiam publicae libertatis vindices vocantur. Ita ab alia ad aliam coniecturam delapsus sum: nec pudet me has meas qualescunque opiniones protulisse; protuli autem, ne viderer loci difficultate absterritus ἀκονιτὶ ab eo discessisse. *Unde* non legitur in codice Vaticano, sed in libris antiquis: corruptum sane ex *nonne.* Ceterum *concursu* an *congressu* scriptum sit, non multum interest: praefero tamen *concursu.* Sall. Jug. 74. primo concursu. cf. Liv. I. 25. 4. ubi eadem scripturae varietas; XXIII. 29. 6. primo concursu. Sall. Jug. 59. magnam cladem in congressu facerent. Liv. XIII. 22. 4. acie congresso hoste: sed alterum vocabulum quo valentius, eo aptius huic loco.

## *Cp. 32.*

*Licet dominationi alienae sanguinem commodent.* Liv. XXXIV. 12. 5.: ne suas vires aliis eas commodando minuat. Hic *vires,* apud Tacitum *sanguis* commodatur. Miror, viris doctis quibusdam *commendare* probari potuisse. — *diutius tamen hostes, quam servos.* Mscr. Vatic. 3429.: *servos hostes;* edd. ante Rhenanum: *hostes servos;* is ex emendatione dedit *hostes quam servos:* eumque plerique editores secuti sunt. H. Beckerus, Hertelius et Rothius tuentur codicis scripturam. Atque nemo erit, qui ignoret *servus* proprie adiectivum esse: unde illud: *servum pecus imitatores:* ergo *servi hostes* significat » sklavisch dienende Feinde. « Nec magis dubium est, quin *hostis* ita substantivo possit adiungi, ut adiectivi vim assumat; unde *frater hostis* et *turmae hostes* et *exercitus hostis;* at omnibus his locis *hostis* propriam vim suam tenet: hi autem *servi hostes,* non coeptant *hostilia,* sed animis tantummodo volvunt. Nec vereor, ne quis illud huc traxerit: Quot servi, tot hostes. Ergo si legamus: *servos hostes,* quae tandem erit huius loci sententia? patrio sermone explicabo: ihr müsstet denn glauben, dass die Gallier u. s. w., sie, die freilich jetzt fremdem Despotismus mit ihrem Blute dienen, doch länger feindlich gesinnte Sklaven waren, durch wahre Anhänglichkeit festgehalten würden. Quid istud? At Calgacus dicit, nunc quidem servire eos Romanis, sed liberos eosdem et hostes multo diutius fuisse. Rothius quidem, denn die Zeit, inquit, in welcher sie feindlich gesinnte Knechte sind, ist länger, und daher ihr Eindruck stärker und bleibender, als die, in welcher sie *servi cives,* befreundete Knechte, gewesen. Aut non intelligo verba Rothii, aut vir eruditissimus fallitur. Quid? *cives* Galli, Germani, Britanni? cives » befreundet? « at apud Livium VII. 36. 1. legimus: *quo excitatus vigil proximos movisset, erectique alios concitarent ignari, cives an hostes essent:* atque haec verba possint huic loco conferri? Sed ne verbum quidem amplius. Rhenani emendationem non dicam audaciorem esse, sed mihi quidem illa parum subtilis videtur esse. Consulto enim Tacitus Calgacum facit dicentem: *commodare sanguinem,*

quasi barbari sponte in exercitu Romanorum militent; his parum consentaneum foret, si iidem *servi* vocarentur. Equidem legendum puto; nisi si Gallos.... licet.... commodent, diutius tamen *saevos hostes*, f. et aff. cet. *diutius* sc., quam sanguinem commodarent, saevos (grimmige) hostes fuisse. *Servus* autem et *saevus* interdum confundi, docet Drakenb. ad Liv. VIII. 18. 14. — *paucos numero;* recte. simili modo apud Dion. 62. 5. Bunduica seu Bondicea: φοβεῖσθε δὲ μηδαμῶς τοὺς Ῥωμαίους. οὔτε γὰρ πλείους ἡμῶν εἰσίν; οὔτ᾽ ἀνδρειότεροι. — *trepidos circum ignorantia:* alii *circum* ut errore librarii natum abiecerunt: sed iure Walchius dubitat, an vox *ignorantia* nudata genitivo ferri possit, coniicitque *locorum.* Probe: praeter eos, quos ipse laudavit locos, confer. Sall. Jug. 97. Tac. Hist. II. 85. Ann. VI. 36. Mihi aliquando in mentem venerat: *rerum ignorantia.*

## Cpp. 34. 35.

*Quodque animal contra ruere.* recte *ruere* contra Rhenanum et Walchium alii defendunt. Nam quemadmodum ex verbis *sono pelluntur* per zeugma repeti possit *caedi*, id nullo modo perspicio. Deinde robori ignava quoque animalia occumbunt. Intelligi Tacitus voluit: acerrimos Britannorum contra ruisse seu obviam venisse et cecidisse: ignavissimos delituisse, donec deprehensi ac pugnare coacti essent. (conf. Curt. III. 5. 19.) Xenoph. I. Cyr. 4. 8. κάπρον ἐκ τοῦ ἐναντίου προσφερόμενον. Ipsis his bestiis robur insitum est: Xenoph. de venat. cp. 10., §. 17. et 21. οὐ γὰρ κωλύει. cp. 13. §. 14. τὰ γὰρ — αὐτῶν. Ergo non tam robore, quam arte vincuntur bestiae. Confer sis, quae Gryllus disserit apud Plut. ed. Hutten Tom. XIII. p. 215. Sic infra *ultro* ruere et se morti offerre. Liv. XXXVIII. 21. 8.: quo ruant caeco impetu. Curt. VIII. 14. 47. in medium discrimen ruere; Ammian. Marcell. XIV. 2. 15. ruitura sine respectu salutis in ferrum. Est autem *ruere,* ut primus Sellingius vidit (vid. annot. Walth. ad h. l.) perfectum, ut idem fortasse Ann. I. cp. 7. De perfecto vi aoristi usurpato praeter Sellingium monuerunt etiam Schmid ad Horat. Epist. I. 19. 48. Jäger ad Eumen. Constant. 8. 1. alii. Ceterum *contra ruere* verbis *ipso agminis sono pelli* multo melius, quam *robore* oppositum est, ut ne hoc quidem nomine Walchii interpretatio commendetur.

*Sed deprehensi sunt novissime res id et extremo metu corpora, defixere aciem in his vestigiis.* Haec est vetus scriptura. Rhenanus: *s. d. s. novissimi et extremo metu corpora defixere in his vestig.* Walchius *deprehensi sunt novissimi. ideo extremo metu corpora defixere in h. v.* Rothius: *novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in h. v.* Walther: *d. s.. novissime res et extremo metu corpora defixere aciem in h. v.* Alii aliter, quorum opiniones recensere, non opus est. Ac Walther quidem totum locum hoc modo interpretatus est: zuletzt haben die Umstände und der Leiber ängstliches Zittern den Schlachthaufen an diese Stätte der Flucht gebannt, wo u. s. w. His ait nihil pulcrius aptiusque fieri posse. Me ista non admodum delectant. Rothius *novissimae res* interpretatur »Grenze der Welt«; *corpora* dici, quia Caledonii non sponte, sed coacti ad praelium accessissent. Itaque si recte Rothii sententiam perceperim, is latina patrio sermone sic explicari iubet: die Weltgrenze und mit der äussersten Furcht behaftete Körper haben den Schlachthaufen gebannt. Haec bona nulli invidebo, cui placuerint. Sellingius (vide Walth. in annot. ad h. l.) scriptura *id et* inducitur, ut vocabulum *extremo* glossa natum existimet: hac igitur voce eiecta legendum esse censet: novissimo metu corpora *defixere aciem;* et *aciem* intelligit oculorum aciem. Has argutias mallem omisisset. Rhenano ac Walchio, quibus scribi placuit, *deprehensi sunt novissimi,* non assentior: etenim hoc verborum ordine, cum inter se opposita sint *restiterunt* et *deprehensi,* vox *novissimi* adiecta verbo *deprehensi* concinnitatem orationis disturbat. Equidem legendum puto: Novissimi ii et extremo metu corpora defixere, non aciem, in his vestigiis cet. Curt. IV. 14. 52.: reprehensos ex fuga Persas pugnaturos, quia fugere non possent.... metu exsangues.... in eodem vestigio haerere.... illinc plures stare: hinc plures dimicare: Liv. XXI. 40.: nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt. ib. 57.: magis agmina, quam acies. Atque uti Curt. *l. l.* §. 54.: Macedonum illic arma esse, non corpora; sic Tacit. hoc loco *corpora* dicit Caledonios defixisse, non aciem i. e. non acriter eos pugnaturos esse. Denique *novissimi,* quippe quibus nullum ultra esset effugium, undique aut mari aut ab hoste cinctis. Sin autem codicis Vaticani scripturae coniecturam accommodare praestet, legam: Novissima spe et extremo metu corp. def., non aciem, in h. v.. *novissima spes* non multum distat a spe desperata. Cum igitur nihil iis amplius spei esset reliquum et extrema quaeque essent metuenda, defixere, non aciem, sed corpora sola in iis vestigiis, cet. *Novissima spes* H. III. 84. conf. Drakenb. ad Liv. X. 19. 5. et imprimis Herz. ad Caes.

I. b. g. 15. V. 56. *Spes* autem et *res* saepe confusa esse, testatur Drakenb. ad Liv. V. 12. 5. — cp. 35. In codice Vatic. legitur *convexi:* quae scriptura H. Beckero, Hertelio et Rothio probata est: atque Becker quidem eam elegantiorem ait esse et exquisitiorem multo, quam vulgatam *connexi*. Rothius laudat Claudian. XXVIII. 615.: at huius loci longe alia ratio est: vid. Gesn. ad Claud. XXIV. 190.: si ipsa iuga convexa fuissent, facilius ferrem istud *convexi:* sed illud *insurgerent* clamat, *connexi* scribendum, *convexi* reiiciendum esse.

## Cp. 36.

*Nam Britannorum gladii sine mucrone complexu armorum et in arto pugnam non tolerabant.* Vett. edd. *in aperto:* illud coniecit Fr. Medices: principis auctoritatem plerique secuti sunt. Walchium, qui *in arcto* interpretatur *comminus,* iam refutavit Rothius. Nec dubitari potest, quin aliud sonet *comminus* seu *collato pede,* aliud in *arcto pugnare:* conf. Sall. fragm. 274. ed. Bremi. Curt. IV. 13. Tacit. Ann. II. 21. IV. 32. alibi. Liv. XXXIV. 46. 10. Veruntamen Rothius ipse significationem verbi *aperto* mirifice contorsit, dicens *in aperto pugnam* valere: » eigentliches Kämpfen, das wahre Fechten «. Et huic pugnae generi quodnam tandem sit contrarium? Nempe pugna simulata: id equidem non intelligo. Atque apud Tacitum Ann. III. 20. (ut copiam pugnae in aperto facerent, aciem pro castris instruit) aliisque locis *in aperto* legimus; nusquam ea significatione, quam Rothius huic locutioni subiecit. Ego legendum puto esse: nam Brit. gl. sine mucrone compl. armorum et, *ni* in aperto, pugnam non tolerabant i. e. tolerare solebant. Nam Britanni quoque spatium ictibus quaerebant (conf. Tac. VI. Ann. 35.). — *ora foedare:* potuit haud dubie ita scribi; sed *fodere* melius est, ut Ann. II. 21.: latos barbarorum artus, nuda ora foderet. Pompeiani si fuissent, *foedare* aptius foret: vide Plutarch. vit. Pomp. 69. — *Interim equitum turmae fugere, covinarii peditum se — incursabant.* Capite tricesimo quinto acies Romanorum et Britannorum descripta est. Octo millia peditum auxiliarium in media acie Romanorum collocata: equitum tria millia cornibus affusa erant: legiones pro vallo steterunt. Britannorum primum quidem agmen in aequo; deinde per acclive iugum reliqua multitudo; in medio campo covinarius (et) eques. Agricola ne maiori hostium multitudine circumveniretur, ordines diduxit. Primum eminus pugnabatur inter pedites: mox succedentibus tribus Batavorum cohortibus duabusque Tungrorum comminus pugnari coeptum est: quod pugnae genus Britannis iniquius erat. Batavi, strato quantum erat hostium in aequo, aciem in colles erigunt: subsequuntur ceterae cohortes. Haec plana sunt et expedita; non item sequentia. Interim equitum turmae: utrorum? Romanorum an Britannorum? Walchius Britannis negat praeter covinarios ullum equitatum fuisse; praeterea turmas ait nisi equitum romanorum non vocari. Id falsum est. conf. XIV. Ann. 34. VI. 35. Hist. IV. 13. Liv. XXI. 54. XXXVIII. 17.; alterum autem dubium est et admodum incertum; conf. Caes. de b. gall. V. 9. 15. IV. 24. alibi. Vix veri simile est, Caesarem omnibus locis *equitatu atque essedis, equites essedariique, equitatu et essedariis* dixisse, et tamen voluisse intelligi, eosdem esse equites atque essedarios. Negari quidem nequit, eundem aliis locis rursus ita narrare, ut covinarii et equites iidem fuisse videantur; ut V. 16. 17. 19. Dio Cassius contra utrumque equitum genus accurate distinxit *l.* 62. cp. 12: τοῦτο δὲ οἱ ὁπλῖται τοῖς ὁπλίταις ἀνθίσταντο, οἵτε ἱππεῖς τοῖς ἱππεῦσι συνεφέροντο καὶ πρὸς τὰ ἅρματα τῶν βαρβάρων οἱ τοξόται τῶν Ρωμαίων ἀντηγωνίζοντο. Caes. b. g. IV. 24. et 26. incertum est, equites intelligantur an essedarii; nam incitatis equis essedarii non minus atque equites inferri poterant. Itaque, quod ego sciam, veterum testimoniis nec probatur, Britannis iustum equitatum defuisse, et intelligitur, in proeliis plerumque essedis eos uti consuevisse. Jllud est autem verisimillimum, eos, qui equites Britannorum vocantur, et ipsos de covinis pugnare solitos; quippe in quo certaminis genere egregie essent exercitati. Hoc loco turmae equitum aut utrorumque, tum Romanorum, tum Britannorum intelligendae sunt, aut, id quod multo est verisimilius, Romanorum tantummodo. Quod si ita sit, non quadrat *fugere.* Etenim quoniam de concursu equitum et covinariorum ne verbum quidem Tacitus fecit, nisi allucinatum esse scriptorem praestantissimum putes, non erit probabile, tam ineptum eum statim de fuga equitum Romanorum retulisse. Nec vero ut iis, qui romanos equites fugisse credant, consentiam, testimonio Caesaris possum adduci, qui V. de b. g. 15. narrat, equitatui romano impetum covinariorum, ut rem insuetam, terrorem iniecisse. Idemque fere dici potest contra eos, qui Britannorum equites fugisse, covinarios autem praelio peditum se miscuisse existiment: mihi quidem persuasum est, aliquid post haec verba excidisse. Nam verba *turmae equitum* et *covinarii* transponere,

quam opinationem Walchius quoque valde dubitanter proposuit, est quidem aliqua huius loci medicina, sed non optima, quaeque ad persanandum vulnus nequaquam sufficiat. Itaque magis placet, lacunae signa poni: fortasse *verba incurrere covinarios* interciderunt. *fugere covinarii:* breviter sane de fuga covinariorum; non brevius Lucianus de illis suis Heliotis: sed Caesar ipse eadem brevitate eandem rem narrat; IV. de b. g. 35. V. 9. conf. etiam Liv. XXXVII. 41.; qui impetum falcatorum curruum inane ludibrium vocat. Accedit, quod ipse Caesar testatur, covinarios plerumque consulto cessisse. *peditum se proelio miscuere.* utri? covinarii an equites romani? Scimus auctore eodem Caesare, essedarios ex essedis desilire et pedibus proelio contendere consuevisse. Itaque non vero quidem absimile est, opinari, *covinarios* iam peditum proelio se miscuisse: sed propter sequentia equites romanos intelligi velim: namque nodum Gordii nectemus, si statuemus, covinarios solos se peditum proelio miscuisse. Sequuntur enim verba: *densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant:* non covinarii, reor, sed equites romani, qui covinarios persecuti impetum fecerant. Nihil quidem me movet vox *hostium*:. id defendi possit; conf. Liv. XXXVII. 5. 6.; sed fieri non potest, ut, cum paullo ante memoratum sit, Agricolam ordines diduxisse, nec, etsi multi monuissent, legiones arcessivisse, nunc densa Romanorum agmina dicantur. Deinde, si Caesari fides habenda est, qui *l.* IV. de b. g. 33., testatur, tantum essedarios quotidiano usu et exercitatione effecisse, ut in declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere et brevi moderari ac flectere consuessent, qui credibile erit, haesisse essedarios inaequalibus locis? Romanos equites in iis locis, quae, ut cum Curtio loquar, inequitabilia erant, haesisse, id quidem minime mirum est. Itaque ex coniectura haec fere reponemus: *Interim equitum turmae incurrere; fugere covinarii: nostri peditum se proelio miscuere: at quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant.* Inde ab his verbis iam vepres et dumeta. In codice Vaticano et editionibus vetustis haec leguntur: *minimeque equestres. ea* (eᵃ) *enim (n) pugnae facies erat. cum aegra diu aut stante simul equorum corporibus impellerentur, ac saepe — incursabant.* Rothius haec omnia *de covinariis* narrata esse arbitratur: itaque verbis *equorum corporibus impellerentur* significari dicit, essedarios vi equorum huc illuc latos esse, quin eorum cursum dirigerent. Haec aperte pugnant cum iis, quae Caesar *l. l.* de essedariorum peritia tradidit: illud autem non video, quomodo latine dici possit: *covinarios tum minime equestres fuisse:* coniecit enim vir doctissimus: *haerebant, minimeque equestres (ea enim pugnae facies erat), quum auriga tunc adstante, simul equorum corporibus impellerentur, ac saepe — incursabant:* in hac coniectura multa sunt, quae non concoquam. Lipsius *corporibus equorum impellerentur* explicat: equites stantes haerentesque sine suo impetu facile cum ipsis equis pellebantur a pedite, vi ingruente: Walchius eadem verba patrio sermone hoc modo expressit: zugleich von Leibern ihrer Rosse abwärts gerissen wurden. At *equorum corporibus* non idem est, quod *cum equis simul;* nec *impelli* valet hinabgerissen werden, sed aut einen Anstoss erhalten, in Bewegung gesetzt werden, aut zum Weichen gebracht, geworfen werden. (conf. Bött. Lex. Tac. s. h. v.). Deinde manifestum est, verba *ac — incursabant* nec cum antecedentibus *cum — impellerentur* ita posse connecti, ut *incursabant* referatur ad coniunctionem *cum;* neque verbis *ea pugnae facies erat* apte subiungi: quamobrem maius certe distinguendi signum ponendum erit. Scripturae igitur vestigia prementes assentiemur iis, qui opinentur legendum esse: *minimeque equestris ea iam pugnae facies erat.* De equestris proelii more vid. Lipsii annot. ad Ann VI. 35. et Walch. in comment. ad h. l. Ceterum quantum mihi per has tenebras, quibus hic locus circumfusus est, dispicere licet, ex verbis *ac saepe vagi currus ..... incursabant,* intelligitur, equites romanos non modo cum peditatu Britannorum et iniquitate loci conflictatos, sed etiam essedorum interventu perturbatos esse. Pulsos autem et dispersos fuisse essedarios, apparet et ex iis, quae supra legimus, *fugere covinarii,* et ex verbis insequentibus: *vagi currus; exterriti sine rectoribus equi.* Verba misere corrupta alii aliter tentarunt: equidem varias inter opinationes diu multumque iactatus tandem in hac qualicunque coniectura perstiti: nec enim aggredi uno ictu aut restare poterant, simul equorum corporibus impellerentur; ac saepe — incursabant. Ceterum capite sequenti legendum est *degredi.* conf. supra ad cp. 18.

## *Cp. 39.*

Hunc rerum cursum quamquam nulla verborum iactantia epistolis Agricola actum, ut Domitiani moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit: inerat conscientia cet.

*Actum* scriptura est: Lipsius emendavit *auctum*. Ex eo tempore editores in duas quasi partes discesserunt: plerique stant a Lipsio: a scriptura Doederlinus, H. Becker, Rothius, alii. Ac Doederlinus quidem eiusmodi, inquit, res erant ab Agricola gestae, ut iactabunda auctione non opus esset ad excitandam Caesaris invidiam et suspicionem; langueret itaque ista Agricolae laus, quod verum non auxerit. At ubi quaeso Tacitus dicit opus fuisse iactabunda rerum auctione? aut quemadmodum ex verbis *nulla — auctum* colligi potest, id Tacitum in laude Agricolae posuisse, quod res suas non auxerit? Immo vero odium ait, quo Domitianus Agricolam persecutus sit, non ostentatione aliqua huius viri egregii, sed ipsa rerum ab eo gestarum magnitudine conflatum esse. Hoc modo dum soceri prudentiam, qua omnia devitarit, quibus principis suspiciones moverentur, festive adornat, Domitiani quanta fuerit nequitia, ostendit. Haec igitur Doederlini ratio me non movet, ut Lipsii emendationi scripturam anteponam. Sed iam reliqua consideremus. *Agere* Doederlin. ait idem valere quod *agitare*: id nec credo, nec ut credam, exemplis, quae vir doctissimus attulit, adducor. Praeterea *agitare* hoc loco parum aptum foret. H. Becker interpunctione posse omnem tolli offensionem confidit: at ista virgula, quam ponit post vocem *iactantia*, verba *quamquam — iactantia* suspendit: quae quomodo a sequentibus separari ac seiungi possint, ego non video. L. Rothius in ceteris Doederlino consentiens *auctum* reiicit propterea, quia vis huius verbi propria antecedentibus vocibus *verborum iactantia* iam exhausta sit. Id mihi argutius, quam verius videtur disputatum: nam si ita esset, nec *laudibus ornare* dici posset. In excursu XII. p. 165. idem ad illas suas delicias delabitur, statuens, *actum* esse idem, quod *transactum*: totum autem locum ita vertit: Diesen Verlauf vernahm Domitian mit erheuchelter Freude und peinlicher Sorge, wenn derselbe gleich ohne Anrühmung beschlossen wurde (war). Haec mihi quidem minime probantur. Ipse enim rerum cursus Caesarem sollicitavit: epistolis eum transactum esse, quid istud ad Domitiani sollicitudinem? Deinde aetatem, vitam, lustra, annum, meliorem partem diei agere, sane valet hinbringen, zubringen; nec tamen, id quod plerumque fit, ego dixerim in his locutionibus *agere* positum pro *transigere*: quod nullo pacto necesse est. Nihil probatur locis, quos interpretes ad Liv. VIII. 21. ad tuendam scripturam *acto* colligunt: nam *actus honor* vel *magistratus* (ein geführtes, betriebenes Ehrenamt) sane est *administratus* (vid. Herzog ad Caes. de bell. g. III. 28.). At cum his Livii locis verba Taciti non magis componi possunt, quam cum locutione *cursum seu fugam agere* (conf. Senec. Hippolyt. 676. Herc. Oetaeus 1020.). Nec vero *agitur rerum cursus*, si significetur, *narratur, exponitur, refertur cursus rerum*, componere licet cum Livii verbis: *bella continua per quartum iam volumen annumque sextum et quadragesimum a M. Valerio, A. Cornelio coss. agimus*, ubi translate dictum est pro *narrando persequi*. Jllud autem negari nequit — clamat enim ipse usus loquendi — *res agitur in senatu, in foro, in iudiciis* longe aliud sonare, atque *de re agitur*, velut aguntur vectigalia i. e. es handelt sich um eure Einkünfte: *agitur de vectigalibus* es handelt sich von oder in Betreff eurer Einkünfte. Ac merito Walchius in enarratione commentum eorum refutat, qui *agere rem* interpretati sunt, *narrare* seu *referre*. Itaque mihi quidem persuasum est, *cursus rerum — actus epistolis* hoc loco stare non posse. Jam vero Lipsii emendationem examinemus. *nulla verborum iactantia auctus* dictum est, ut apud Liv. V. 34.: quas (Alpes) inexsuperabiles visas haud equidem miror, nulla dum via — superatas i. e. non ulla dum via superatas seu nondum ulla *via* super. similiter hoc loco *nulla* pro non ulla positum est. Monui, ne quis absurde dictum putaret: nulla iactantia verborum auctus. Sententia plana est et expedita: den Verlauf der Dinge, wiewohl er auch nicht im geringsten durch ein überhebendes Wort im Berichte des Agricola vergrössert war, nahm u. s. w. Non Glaucus sum, ut auro aes permutem. Itaque tantum abest, ut Lipsianae emendationi scripturam praeferam, ut ne Rhenani quidem coniecturam *relatus*, iniuria profecto a quibusdam doctis viris irrisam, anteponam ei, quamquam nondum cognita hac Rhenani emendatione, cum forte Plin. Ep. X. 64. legerem, ipse aliquando idem conieci; scitis autem, quantum in hoc quoque genere regnet illud: te tua, me delectant mea. Ceterum in sequentibus servanda est scriptura Vatic. 3429: *ut Domitiano moris erat*: quamquam consecutio verborum a vulgari recedit. Construxit autem brevitatis causa per synesin; quippe verba *ut moris erat* fere significant *consueverat*. Paullo infra dissensionem virorum doctorum excitavit particula *ac*, pro qua Rhenano *at* reponi placuit. Qui scripturam codic. tutantur, comparant locos, ubi *et* pro *sed* scriptum sit. Et potest sane interdum fieri, ut pro particula adversativa ponatur copulativa: sed permutatis his particulis immutatur etiam sententiarum inter se iunctarum ratio.

Saepe idque magna cum vi nostrates ita loquuntur: und nun pro aber nun. Si scriptum esset: magno derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum; et nunc verum — celebrari: non foret, cur *et* impugnaretur (weidlich habe man schon neulich über den erlogenen Triumph sich lustig gemacht; und nun würde gar ein wahrer und grosser Sieg gefeiert): tum enim intelligeretur, eo maiori derisui fore illum Domitiani triumphum: hoc modo altera sententia adiuncta alteri magis quam opposita est. Particula *ac*, de qua supra dictum est, ipsa minus apta foret: hac autem orationis structura etiam magis offendit; velut si patrio sermone diceres: es regte sich in ihm das Bewusstsein, zum Gelächter sei neulich ..... gewesen, ebenso wie jetzt ein wahrer Sieg gefeiert werde. Plin. Panegyr. 90. 2.: ac sicut nunc spes gaudiumque, ita tunc communis nobis dolor et metus erat: cuius loci ratio ab his Taciti verbis plurimum differt. Accedit, quod hoc loco interiectis pluribus verbis cum opposita dirimantur, vis oppositionis quodammodo debilitatur, ut hoc quoque nomine Rhenani firmetur emendatio. — *Frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta.* Supra cp. 2. legimus: omnem bonam artem in exsilium actam, expulsis insuper sapientiae professoribus: de qua re Plin. quoque Panegyr. cp. 47.: ut sub te, inquit, spiritum et sanguinem et patriam receperunt studia! quae priorum temporum immanitas exsiliis puniebat, cum sibi vitiorum omnium conscius princeps inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegaret. De hac philosophorum exactione Tacitum hic non loqui, L. Walchius docuit: neque possunt verba *in silentium agere* hoc modo explicari. At si idem vir doctissimus dicit, eloquentiae et poesis studia, quae Domitianus prae se tulerit, mox deseruerit, intelligi; non possum non ab eo dissentire: nam *poesis* certe non modo decus artium civilium non vocari (cf. Plin. Epist. VII. 4. 4. Seneca Epist. 88. fere med.), sed ne in earum numero quidem poni potest. Dubito etiam, an verba *in silentium agere* valeant *oblivioni dare, negligere*, (in Vergessenheit begraben). Multo melius Rothius, qui *civiles artes* eas dicit esse, quae in re publica gerenda versentur. Idemque studia fori hoc loco significare ait *gratiam multitudinis et favorem erga oratores, patronos, caussidicos*: nec tamen negat, posse verba *et decus civil. art.* ita explicari, ut oratio a genere ad partem descendat. Haec interpretandi ratio una mihi probatur. *Studia fori* omnino forenses labores sunt; confer Dial. de oratt. cp. 11.: *ac iam me seiungere a forensi labore constitui nec comitatus istos et egressus aut frequentiam salutationum concupisco.* Hoc labore aditum sibi ad rem publicam faciebant; quamobrem decus civilium artium *eloquentia* appellatur, quam, natam et auctam quondam libertate, una cum interitu liberae rei publicae tacere coactam, constat. conf. Dial. de oratt. 13. a verbis *nec insanum cet.*, et cp. 1. *nostra potissimum aetas deserta et laude eloquentiae orbata vix nomen ipsum oratoris retinet.* adde Juv. Sat. IV. 91. Quemadmodum vero hoc loco *studia fori* et decus civ. art., sic Dial. de oratt. 34. *forum et eloquentia* iuncta sunt: simili modo ibid. cp. 38.: *eloquentiam tamen illud forum magis exercebat.* Sententia igitur horum verborum est: umsonst seien des Forums Bestrebungen und die Zierde der zur Verwaltung des Staates befähigenden Geschicklichkeiten u. s. w. Cum *alius* dicit, intellige, *atque Princeps*: is enim cuique virtuti infensus (conf. cp. 41.), tamen quavis laude alios, quam gloria militari excellere voluit; quae gloria cum maxime eniteret, imperatoriam eam duxit virtutem (Tüchtigkeit) esse. — *secreto suo satiatus.* Satiatus hoc loco vim habet verbi medii atque significat »sich volle Genüge thun.« Nec enim semper valet, taedio confectum esse, sed etiam pleniori quasi haustu re aliqua expetita frui. *Secretum* autem hoc loco videtur esse »sein ihm eigenthümliches Heimlichthun, sein eigenthümliches in sich verschlossenes Wesen« uti Ann. III. 37.: secreta patris mitigari: simili modo II. 15. *clausus* Tiberius vocatur. *Secretum* illud, de quo Suet. v. Dom. cp. 3. narrat, intelligi nolim; nec tamen Rothio consentio, qui eundem ait Suetonium testari, inter initia tantummodo principatus ita consuevisse facere Domitianum. At Suetonii verbis id tantum probari potest, a consuetudine, plures horas captandis ac transfigendis muscis conterendi, Domitianum posthac discessisse: a consuetudine, in secretum secedendi, ille non discessit: testis est Suet. cp. 21., quo loco memorat, Domitianum ad horam somni solum secreto deambulasse solitum esse: sed altera, quam supra proposuimus, huius vocabuli interpretatio magis est huic loco consentanea.

## Cp. 41.

*Comparantibus cunctis — formidine eorum.* L. Walchius coniecit *reorum,* tamque hac sua coniectura gloriatur, ut petulantius in aliorum opinationes insultet. At haec gloriatio vereor ne vana sit. Exempla qui-

dem, quibus ad hanc suam coniecturam muniendam usus est, ea parum idonea sunt. Ubi *reus* id, quod Walchius vult, significet, id ipsum verbis huic vocabulo additis totiusque sententiae ratione declaratur. Ceteras coniecturas probe vidit Walchius ulceri huius loci non mederi: nam etsi per se ferri possint, quisque facile sentiet, nullam earum posse reponi, quin tota sententia male cadat. Multo igitur prudentius mihi videntur fecisse, qui excidisse aliquid opinentur, ut Fr. Ritter, L. Rothius, alii. Sed quae exciderint, quis divinet? Fr. Ritter arbitratur: *quibus rei publicae salus indigne nitebatur.* Equidem puto, quia Domitiani aures *verberatas* Tacitus dicit, aculeum fuisse in his sermonibus, quo Princeps ipse lacessitus sit; velut *quibus Caesar exercitus permisisset;* aut *quos Caesar exercitibus praeposuisset;* conf. Ann. I. 46., ubi trepida civitas *Tiberium* ipsum incusat.

## *Cpp. 42. 43.*

*Asiae et Africae.* Lipsius Danesiusque *aut* legendum esse monuerunt: obloquutus est Mercerus, sed ita, ut equidem non intelligam, cur editores ei potius, quam illis obsequuti sint. L. Walchius recte vidit, nec tamen *et* mutare ausus est. At sexcenties in libris Msc. *et, at, ut,* confusa reperiuntur, nec Agricola Asiae simul et Africae sortem duxit, sed alterutram tantum provinciam; igitur tollatur tandem, quod non minus contra morem Romanorum, quam contra loquendi consuetudinem pugnat; multum enim differt Liv. XXX. 27.: Italiam atque Africam in sortem coniici. — *non tam obscuri*: recte Rhenanus *non iam obscuri* emendavit: res est aperta, medicina facillima, nec plerique editores Rhenano non assensi sunt. Doederlinus tamen, H. Becker et Rothius *tam* tuentur, idque explicant per ellipsin. Doederlinus intelligit *quam anteu;* H. Becker his verbis addit, »quum occultius tantum criminabantur«: quod viro doctissimo aliud agenti videtur excidisse. Rothius denique interpretatur: non tam obscuri, quam suadentes et terrentes: quamquam ipse fatetur, particulae *quam* antecedente *tam* omissae nullum exemplum reperiri. Ita saepe fluctus in simpulo excitantur, et novitatis admiratione fucata infucatis anteponuntur. Levitatis est et inscitiae, codicum auctoritatem contemnere et coniecturis aut emendationibus ludere: sed obtemperare chartis toties errore scribarum inquinatis, et deserere viam rationis ac iudicii, non minus reprehendendum. Prudentiam modestia miscere et quovis loco pondera utriusque rei accurate ac diligenter examinare, id potissimum artis criticae, quoad in emendanda corrigendave oratione versatur, munus mihi videtur esse proprium. Ut ad locum capitis 43. suspectum orationem transferam; legitur ibi in manuscriptis: *Vobis nihil comperti affirmare ausim.* Pro *vobis* Rhenanus restituit, quod restituendum erat, *nobis,* ac recte Scheffer monuit, non se solum, sed socrum, uxorem, necessarios Tacitum velle intelligi. Offenderunt verba: *nihil comperti aff. ausim.* Acidalius de suo adiecit *quod,* ut legeretur: nihil comperti (sc. est), quod affirmare ausim. conf. Horat. Carm. I. 3.: nil mortalibus ardui est: sic Bentleius quidem legi mavult: adulterina tamen, quam vocat, scriptura *arduum* praeferenda est. Liv. XXXVIII. 28. 9. *nihil comperti est;* varia tamen scriptura est *compertum.* vid. Drakenb. ad Liv. XXXVI. 7. 6. L. Walchius negans, verbum substantivum hic omitti posse, opinatus est, excidisse aliquid post verbum *comperti.* L. Rothius contra ex sermone plebeio locutionem petitam existimat esse, nec spernendam, etsi grammatica ratione defendi nequiret: in quo ego miror, ne unum quidem locum reperiri, cuius similitudine possit muniri. Ernestus cum confert Sall. B. Jug. c. 17., ubi legitur *de iis haud facile compertum narraverim:* dissimillima adversis frontibus componit. Nam si scriptum esset apud Tacitum, nihil nobis compertum aff. aus. (ich getraute mir nichts, als uns zuverlässig bekannt, zu berichten.), ferri posset. Scimus *nihil falsi, nihil sinceri, nihil certi* sexcenties dictum esse; ergo etiam *nihil comperti* quin dicatur, nihil impedit. At quid significat *nihil comperti?* nempe, ut patrio sermone explicem: nichts von dem, was zuverlässig ist, ergo durchaus nichts zuverlässiges. Concedamus, *nobis,* cum oppositum sit aliorum sermonibus, transpositum et initio sententiae collocatum esse; largiamur etiam aliquid: posse *nobis* iungi cum *comperti,* ita ut sit: nichts von dem, was für uns zuverlässig wäre, möchte ich; at sententia est: nihil ipsi Tacito suisque compertum fuisse ita, ut auderet aliquid affirmare: verba autem »nobis nihil comperti affirmare ausim« sonant: ich getraute mir nichts von dem, was für uns zuverlässig bekannt, zu versichern: vide, ne istud prorsus sit absurdum. Extorquet ergo ratio codicibus auctoritatem. Scribendum est aut *nobis nihil compertum, quod affirmare ausim:* (conf. Plin. ep. X. 40.: sed nihil comperi, quod affirmare tibi possum.). facile autem *q* i. e. *quod* se-

quanti a absorberi poterat; aut *nobis* nihil compertum, *nec* affirmare *ausim:* i. e. und daher möchte ich mich auch nicht bestimmt darüber äussern. His verbis prudenter et famae eorum cavet, qui de exitu soceri illos rumores disperserint, et suae fidei prospicit. Optime autem Rothius vim particulae *ceterum* illustravit: indicat enim, ab hac suspicione nec Taciti uxorisque et socrus animos abfuisse. — Jam ad alias eiusdem generis argutias ultro traducor. Paullo infra enim legimus: *momenta deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat.* In codice Vaticano 3429. scriptum est: *momenta ipsa.* Vocem *ipsa* sunt, qui existiment glossam esse (vid. annot. Walchii, Waltheri, aliorum). Quo iure glossa vocetur, non intelligo: nec ita mihi displicet *ipsa* (sogar die kleinsten entscheidenden Nüancirungen im Zustande des mit dem Tode ringenden:); quodsi codicum consensio accederet, sentirem, *ipsa* in orationem recipiendum esse: nunc nec desidero illud nec stomachabor, si cui placuerit, vel unius codicis auctoritate confidere. Alterum autem nullo modo ferendum duco. Mscr. enim et vett. edd. *nuntiata constabant* exhibent; idque mordicus tenent Dronkius, Becker, Hertelius, Rothius. At *constant res nuntiari* dici nequit. Quum *constat* significet, consensu hominum, opinionum, sermonum, testimoniorum aliquid cognitum et exploratum est; si graecorum more liceret participium verbi alicuius cum eo iungere, *nuntiata constant momenta* dicendum esset; sed differret inter momenta *nuntiata constant* et *constat, momenta — nuntiata esse;* alterum enim significaret, die entscheidenden Wendungen im Krankheitszustande sind allgemein bekannt oder ausser Zweifel gesetzt (δῆλα, φανερά ἐστι), als solche, die verkündigt worden sind: alterum autem valet: es ist nur eine Stimme darüber (ὁμολογεῖται), dass diese Wendungen verkündigt worden seien; ita, ut vis verbi *constat* tota referatur ad infinitivum *nuntiata esse.* Veruntamen, qui est arbiter in his rebus diiudicandis, usus loquendi, a quo recedere non licet, hanc significationem non tribuit nisi impersonali *constat:* personale autem *constare* aliud significat. Sic consuetudine sermonis opinio eorum, qui caussam codicis agant, exploditur.

## *Cp. 44.*

*Opibus nimiis non gaudebat: speciosae non contigerant.* Sic Vatic. 3429. et 4498: in margine tamen Vatic. 3429. scriptum est, *alius habet; sp. contigerant.* Rhenanus primus *non* ante *contiger.* delevit; quem ceteri editores secuti sunt. Unus, quod ego sciam, L. Rothius revocavit cod. scripturam, quia hoc modo et ipsae sententiae melius inter se cohaererent et Tacitus cum Dionis testimonio consentiret. Equidem non modo non intelligo, quomodo servata particula *non* haec aptius cohaereant, sed ne scribi quidem ita potuisse existimo. Si *non* adiiciatur, necessario scribendum est aut *neque speciosae contig.* (ja auch nicht einmal glänzende u. s. w.) aut *opes speciosae ei non contigerant: nec nimiis gaudebat* (und er hatte auch keine Freude u. s. w.), quamquam istud claudit: nam aliud est *speciosus,* aliud *nimius.* Praeterea, quae supra (cp. 6.) de *abundantia,* (cp. 42.) de salario proconsulari non petito memorata sunt, cum hac scriptura nullo pacto concinunt, ut Walchius pridem monuit. Quid? si Tacitus scripsisset: *opibus nimiis non gaudebat: speciosae non contigerant,* quisque intelligeret, speciosis gavisum quidem Agricolam, sed fortunae ludibrio factum esse, ut haec quoque spes ei praecideretur: quod profecto ab hoc loco plane est alienum. Quid, quod etiamsi iis, quae Dio Cassius de inopia Agricolae iactavit, fides non derogetur, illud certe haud dubium erit, quin Tacito non licuerit tale quid testari: obstitisset enim pudor ac verecundia. Nec vero *divitias,* sed *opes,* non *splendidas,* sed *speciosas* dixit: est autem vocis *speciosus* ea vis, qua magis elegantia et munditia, quam rerum affluentia significetur: quamobrem quae *speciosa,* eadem non necesse est pretiosa sint; Lampr. Alex. Sev. 32: *milites, quos ostensionales vocant, non pretiosis, sed speciosis clarisque vestibus ornabat.* Ut igitur apud Horat. Ep. I. 18. 52. *speciosius* idem, quod *magis decore* valet, ita hoc loco *speciosae* explicandum »den äusseren Anstand bewahrend;« qualis fere erat Attici in re familiari instituenda prudentia ac moderatio, teste Nepot. v. Att. cp. 13. Talem rei familiaris condicionem Graeculus sui seculi opinione vel potius errore inductus facile inopiam (ἔνδειαν) nominaverit.

*Nam sicuti durare in hac beatissimi seculi luce ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postrem. illud tempus.* Haec per syllepsin explicanda esse, plerique interpretes consentiunt. Pichena intelligi vult: *sicuti durare — videre tulisset grande solatium, ita tulit gr. solatium.* Broterius: *nobis solatium fert, ita tulit.* quod durius est.

nam requiritur ad verba *festinatae mortis* pronomen *eius*. H. Becker a Broterio stat, nisi quod utrimque *nobis* intelligi iubet. At ita construi nequit, nisi verbo *evasisse* adieceris *eum*. Ad hoc vir doctissimus totum locum ita interpretatus est, ut ipsa sententia vehementer laboret. L. Rothius *l. l.* p. 275. aut ea, quae Pichena suaserit, ad supplendam sententiam intelligi vult, aut aliud vocabulum, quo significetur, *iucundum*, *exoptatum*. Equidem etsi non negaverim, posse e verbis *solatium tulit* tale quid exprimi, persuadere mihi nequeo, id iis locis comprobari, quos vir doctissimus protulit. Nam Hist. V. 22. *silentio cuncta miscere*, cui oppositum est, *cuncta clamoribus miscere*, si significationem verbi *miscere* translatam totiusque locutionis vim consideremus, quamvis sit nove dictum *silentio miscere*, tamen ipsa locutione ad latini sermonis consuetudinem exacta, non erit, cur negemus, posse *miscere silentio* aeque dici, atque *miscere clamoribus*. Illud autem *crederetur* Ann. IV. 2. admodum suspectum est: mihi cod. scriptura depravata videtur esse: conieceram aliquando *ostenderetur*. Neque eos locos, quos Bötticher proleg. p. 79. et Walther in annot. ad syllepsin illustrandam proposuerunt, comparari posse, nemo, qui eos paullo accuratius consideraverit, non intelliget. His loci expediendi difficultatibus quin Rhenanus ad eum emendandum provocatus sit, non dubito. Is igitur primus *quod* sustulit: eumque secuti sunt L. Walchius, Fr. Ritter, Imm. Bekker. Oberlinus denique Bipontinorum coniecturam *quodam* temere arripuit. At vero Walchii interpretatio impedita est et admodum contorta: nec enim intelligo, quemadmodum dici possit, *vitam se propagaturum esse in temporum horum felicitate, votis concupiscebat*, nec, etsi permultis locis praesens infinitivi pro futuro positum reperiatur (conf. etiam Herz. ad Caes. de bello civili IV. 21.), hoc loco id fieri potuisse arbitror. Doederlinus (Tom. II. Act. Phil. Monac. fasc. 3. p. 381.) censet, non de Agricola, sed in universum haec dicta esse, ita ut sententia sit: nam sicuti nunc grande prioris miseriae solatium fert durare in hac beatissimi seculi luce ac principem Traianum videre, quod augurio votisque Agricola apud nostr. aur. ominabatur: ita tunc festinatae coniunctissimi cuiusque mortis grande solatium tulit superstitibus, evasisse postremum illud tempus. Consentio in eo, non tam de Agricola uno, quam in universum haec dicta esse: concedo etiam, ipsa locutione *solatium ferre* intelligi, eum, cui solatium praebeatur, malo aliquo ac dolore affectum esse: non dubito denique, quin infinitivi *durare — videre — evasisse* substantivorum vicem sustinere possint: sed eo adduci non possum, ut credam, Tacitum ita scripsisse. Doederlinus in sententia explananda iusto plura de suo addidit: sed ne duo illa quidem, *nunc* et *tunc*, omitti possunt, nisi si verbi tempora variata vim harum particularum adaequent. Tac. Germ. 2. quoniam ...: ac nunc Tungri, tunc Germani vocati sint. 36.: qui olim boni aequique, nunc inertes vocantur; si *nunc* et *tunc* desint, necesse erit scribi: qui Tungri vocentur, Germani vocati sint; vel olim boni aequique erant, qui inertes vocantur: sed sic quoque *tunc — nunc* desiderantur. Quae cum ita sint, quamquam diu multumque animo agitavi, quae viri doctissimi de hoc loco disputarunt, tamen etiam nunc arbitror, locum esse corruptum. Conieci: nam ut durare iuvat hac beatissimi seculi luce ac pr. Tr. videre, quod — ominabatur (conf. VI. Ann. 48.), ita f. cet. Vitium mihi videtur verbis *inhac* ortum esse: totum locum hoc modo converto: denn so wie es erfreut, fortzuleben in den jetzigen heilvollen Tagen des glückseligsten Zeitalters und als Fürsten zu sehen einen Trajan, was wir ihn mit Weissagerblick und Gelübden voraussagen hörten: so brachte seiner Zeit für übereilenden Tod mächtigen Trost der Gedanke, entgangen zu sein u. s. w.

## *Cp. 45.*

Nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. *Visus* in plerisque libris legitur. Bipont. *divisus* coniecerunt, eosque secutus est Oberlinus. Ovid. I. Trist. Eleg. 3. 75.: Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam Et pars abrumpi corpore visa suo est. Nec tamen magis mihi, quam aliis, haec coniectura placet. De scriptura *visus* docte et erudite, ut solet, L. Walchius: quod ad sententiam attinet, possis etiam comparare Tacit. Ann. II. 41.: augebat intuentium visus *eximia eius species*. Cic. Cat. I. 1.: nihil te horum ora vultusque moverunt. Ovid. Trist. I. 8. 22.: denique lugubres vultus nunquamque videndos Cernere supremo dum licuitque die. Suet. Dom. 11. »*parcetis oculis vestris*«: quae vox est plena ludibrii: et quae paullo infra leguntur *videre et aspici*. At *perfundere* neque cum iis, quae apud Ciceronem pro Rosc. Amer. leguntur, *iudicio perfundere*, nec cum Graeco συγχεῖν (confundere) conferri potest. Rothius, *perfundere*, cui vocabulo subiecta sit notio *inquinandi* et *maculandi*, per zeugma ita putat explicandum,

ut ad vocem *visus* intelligamus *probro affecit*. Sed haec interpretandi ratio mihi tota displicet: usum enim illa et consuetudinem loquendi ita subvertit, ut quo egredi te aut ubi consistere oporteat, non amplius videas. Quae hodie vulgatur scriptura, si germana est, ei comparari malim Caes. II. de bell. gall. cp. 12. »illi ex pavore et fuga se recipere«: ubi ex *pavore* se recipere translate, ex *fuga* se recipere proprie dictum est; conf. etiam Hist. II. cp. 88.: *quin et tribuni praefectique cum terrore et armatorum catervis volitabant.* Ann. VI. 44.: cum Tiridates *simul fama et ipso Artabano perculsus*. At torquet me aliud. Ubicunque *perfundere* legitur, additus est ablativus rei, velut amore, metu, formidine, claro lumine; idque postulat verbi *perfundere* vis ac significatio: est enim aut darüber hin giessen, ita ut aliquid leviter adspergatur; unde apud Cic. Brut. 9. 38. *perfundere animos* opponitur verbo *perfringere*, vel Tusc. IV. 9. 20.: quae sunt omnes unius generis *ad perfundendum animum* tanquam illiquefactae voluptates; aut durchgiessen, übergiessen, ita ut quis oppleatur seu compleatur; unde transfertur ad animi affectiones. Itaque hoc loco *Maurici Rusticique visus nos perfudit* (es übergoss uns des Mauricus und Rusticus Anblick), praesertim sequentibus nos *innocenti sanguine Senecio perfudit*, mirifice dictum est. Praeterea *visus* inter haec duo: *nostrae manus in carcerem traxere* et *sanguine perfudit*, habet nescio quid tenue et rei atrocitati parum conveniens. Certe *divellimus*, aut *damnavimus* aptius foret. Quid Tacitus scripserit, nescio: illud autem vereor, ne hoc quoque loco acumen interpretum vitio scripturae illudatur, quae quo magis speciem germanae prae se ferat, eo sit fallacior. — *condicione absentiae*. Ignoramus, cur Tacitus peregre profectus sit; et satis obscure dictum est *condicione*, quod Walchius »Verhängniss«, Rothius »vermöge« explicavit. Equidem interpretor »die besonderen Umstände«. Quicquid est, id certe ex hac voce intelligi potest, non voluntate, sed necessitate aliqua commotum diutius eum urbe abfuisse.

## *Cp. 46.*

*Admiratione te potius, temporalibus laudibus et si natura suppeditet, militum decoramus.* Hoc monstrum scripturae satis ostendit, quanta vulnera huic libro inertia librariorum inflixerit. Lipsius coniecit *te immortalibus*, qua coniectura vix melius quidquam excogitari poterit. Anaphora tamen displicet, quia non *te admiratione potius*, sed *admiratione te pot.* scriptum est. Hoc ordine verborum *te* per anaphoram reddi non potuit. Ex voce depravata *militum* Nic. Heinsius *aemulatu*, Grotius *similitudine* coniectura effinxerunt: Oberlinus ex Ursini autographo recepit *aemulatione*. Deinde pro *decoramus* ex emendatione dederunt *decoremus*. Lipsii coniectura omnibus probata est, praeter Oberlin. et H. Beckerum, qui sordes scripturae servarunt. Nec vero ad Lipsii coniecturam firmandam exemplis opus erat, quibus monstraretur, vim verbi *immortalis* non ita urgendam esse (vid. Walch. in comment.): rectius Fr. Ritter, qui eundem magni scriptoris spiritum redire monet verbis extremis: *Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit.* Haud dubie Tacito, cum haec commotiori animo scriberet, ob mentem versata sunt Horatii verba: *Dignum laude virum Musa vetat mori:* aut illa divini spiritus plena: *ne forte credas interitura, quae longe sonantem natus ad Aufidum — non ego te meis chartis inornatum silebo, totve tuos patiar labores impune Lolli, carpere Lividas obliviones.* Coniecturarum autem *aemulatu* et *similitudine* altera, *aemulatu*, ad vestigia depravatae scripturae *etmilitū* propius accedit; sed dubito, an icirco alteri praeferenda sit: non quod suspectam vocem *aemulatus* habeam, sed quia intellexi esse in notione huius vocabuli aliquam ambitionis significationem ab hoc loco alienae. (confer Ann. IV. 30. VI. 32. 42. 51. II. 44. I. H. 13. Curt. IX. 17. Cic. Tusc. I. 19. alibi.). Mihi magis etiam, quam *similitudine*, probatur coniectura *imitando*; uti apud Livium legimus: omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi — quod *imitere* capias.

